

DECRETA SYNODALIA
MAZARIENSIS
ECCLESIÆ

AB EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOM.

D. IOANNE DOMINICO SPINOLA

*S. R. E. PRESBYT. CARD. EDITA.** *anno 1641.

AB ILLVSTRISS. ET REVERENDIS. DOM.

D. BARTHOLOMÆO
CASTELLI

EPISCOPO MAZARIENSI CONFIRMATA

Additionibus, & Variationibus aucta

ANN. DOM. MDCXCVIII





Drepani in ędib. Ill. Senat. per Bartholom. de Franco. 1699

Superiorum licentia.

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI D. BARTHOLOMÆI CASTELLI Dei, & Apoſtol. Sedis gratia Epiſcopi Mazarienſis, Regijq. Conſiliarij, ad Clerum, & Populũ Mazariẽſem totiuſq. Diœceſis ſuæ dilectos in Domino Filios Epiſtola.

ADeò abundè à fęl. record. Ioanne Dominico Spinola S.R.E. Cardinali, & noſtro Prædeceſſore, prouiſum eſt bono Diœceſis Mazarienſis, & in ſuos titulos ità diſtinctæ, ordinatęque fuerunt Synodales Cõſtitutiones, vt vltrà nihil addi, variarique videatur. Attamen, quia nulla iuris ſanctio quantumcumque perpenſo digeſta conſilio, ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes eius inopinabiles ſufficit; ideò neceſſaria eſt Superioris auctoritas, & Synodalis cõſenſus, vt ſimul conſpirantes, nouis decretis, variatiſque ex parte antiquis, opportunè nõ ſolùm extirpent *in proem. Clementin. § Quoniam.*

vitia, quæ tum in Clero, tum in Populo frequenter obrepunt; sed etiam vtrosq. promoueant ad maiora incrementa virtutum acquirenda. Id vt assequaremur, nostræ Visitationis labor fuit inspicere, quæ decernẽda forent, & maximè conducunt ad correctionem excessuum, & pietatis vberiorem fructũ; insuper Diœcesanam Synodum peragere, vt legitimè, firmiterque sancirentur: modo nostri Consilij est, quæ approbata, & decreta fuerunt, in lucem edere, vt præ omnium oculis sint. Valete.



BARTHOLOMÆVS

DEI, ET APOSTOL. SEDIS GRATIA, EPISCOPVS MAZARIENSIS, & CAT. MAIEST. A CONSIL.

Vniuersis nostræ Diæcesis Abbatibus, Prioribus, Dignitatibus, Canonicis, Archipræsbyteris, Parochis, Beneficiatis, vniuersoq. Clero salutem.

EPiscopalis Ministerij ingens, graueque onus, vt quo imbecillitas nostra sinit studio, & solertia deferamus, commissoque Nobis gregi opportunè de ijs, quę ad æternam salutem conferunt, prouideamus, omnem nostram impendimus operam. Quamobrem post nostram inaugurationem, & ad Diœcesim accessum, cum primum per tempus licuit, illam integrè perlustrauimus. Optabamus quidem nostris, non tam ouibus, quàm filijs, consolationem, & salutaria remedia, quantociùs bre-

breuiori mora præbere, sed Diœceseos amplitudo ad remotas ab Vrbe nostra, & inter se longo non minùs, quàm periculo Maris interuallo positas Insulas Pantellariæ, Fauinianę, & Maretimi extensa, tum gerendarum rerum varietas, nec non protensum per septem fermè annos ab vltima visitatione tempus postulauerunt, vt Nos plurimorum mensium labores in illa perficienda libenter sustineremus. Modo, Deo adiuuante, iam peracta ne desides, otiosique maneremus, insurgimus ad extirpanda zizania, quæ inimicus homo superseminauit ad abstergendas maculas, quibus ecclesiasticus Nitor fortè obfuscatur, & ad ea perquirenda, & exequenda, quæ morum disciplinam perficiunt; quæ christianam Pietatem pulchriorem reddunt. In his verò præclarum sibi locum vendicat recta Synodorum celebratio, ea namque omnibus medetur, quæcunque vel officiorum neglectus, vel prauitas morum in Parochias inuexit, Pastores-

resque ipsos ad maiorem sedulitatem excitat, à vitijs, & defectibus, si quæ irrepserint, deterret, & quæcumque in Ecclesijs, vel promouenda, vel corrigenda sunt, aperit, atque in meliorem statum, ordinemque reformat. Proinde Summi Pontifices Concilia tum Oecumenica, tum Prouincialia à priscis temporibus ad viciniora vsque sæcula celebrata id ipsum commendatum, sancitumque voluere. His igitur rationibus, stimulisque excitati, primam nostram Diœcesanam Synodum, diuino met Numine auspice, indicere, ac perficere decreuimus. Vobis propterea omnibus Abbatibus, Prioribus nostræ Cathedralis, & Collegiatarum Dignitatibus, Canonicis, Archipræsbyteris, Parochis, Cappellanis, Beneficiatis, Sacerdotibus, ac Clericis cuiuscumque Ordinis, qui Canonum, ecclesiasticarum Constitutionum, iure præsertim Concilij Tridentini Decretis, legitima consuetudine, aliaue ratione præfatæ Diœce-

sa-

ſanæ Synodo intereſſe incumbit, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris Canonibus præſcriptis præcipimus, vt omni excuſatione, & negligentia ſubmota, in hac Mazzarienſi Vrbe, ſtatuta per Nos Die, videlicet, decima quinta Iunij, inſignibus veſtro Ordini, & gradui debitis ornati, ſummo mane conuenire minimè detractetis, nec à Concilio, quoad abſolutum fuerit, quiſquam veſtrum diſcedere audeat, niſi ex legitima cauſa per Nos, aut noſtrum Vicarium Generalem, cognita, & probata, ac licentia in ſcriptis obtenta. Vicarijs verò noſtris Foraneis, ac Monialium Viſitatoribus, omnibuſque, quibus cura, & adminiſtratio ſpectare contingerit alicuius Eccleſiæ, iniungimus, vt in qualibet ipſarum, ſi Colleggiata, Parochialis, aut in ea Horæ canonicæ publicè recitentur, vel etiam Sanctimonialium, ab ea die, qua hęc noſtra ad eorum manus peruenerit, vſque dum Synodum prædictam abſolutam

iam


iam esse intelligant, quotidie, vel saltem Dominicis, & festiuis diebus, Spiritus sancti hymnum, & Sanctorum Litanias cum suis precibus, maiori, quà fieri potest, reuerentia, deuotione, ac solemnitate recitari, nec non in Missis eiusdem Spiritus sancti collectam à celebrantibus Præsbyteris addi curent; id ipsum à Regularibus fieri in suis Ecclesijs enixè adhortamur, & insuper Populo, ac singulis Christi fidelibus, non solùm priuatis, sed etiam publicis sermonibus suadeant Parochi, Concionatores, Confessarij, & spiritualium exercitiorum Præfecti, vt ieiunijs, orationibus, eleemosinis, in primis verò peccatorum confessione, & crebra Sanctissimæ Eucharistiæ receptione, ardentiori, quo potuerint feruore, diuinam implorare opem ne prætermittant, quibus permotus bonorum omnium largitor, sincerum erga ipsum obsequium Nobis impartiri dignetur, & lumen, quo præuio quidquid eius Nominis gloriæ,

Ani-

Animarum profectui, vitiorum extirpationi, virtutum incremento, Ecclesiæ splendori, & dignitati consonum, aptumque fuerit, maturè decernamus, gratanter amplectamur, promptè, alacriterque sequamur. Interim valere vos, omnique cœlesti benedictione repleri optamus, atque precamur. Datum in nostro Episcopali Palatio Die 16. Aprilis. 1698.

Greg. IX. epist. ad Episc. Narb. Concil. oecum. Lateran. IV. Can. 6. & Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat. Conc. c. ipsa Prouinc. Salesburgen. Cau. 2. Basil. sess. 15. Colon. ann. 1536 par. 4. n. 15. & 18. Aliud Colon. ann. 1549. tit. de Synod. celebr. n. 1.

IN



IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI

(:†:)



OS IOANNES DOMINICVS SPINOLA miseratione diuina tituli Sanctæ Cæciliæ, S. R. E. Præsbyter Cardinalis, & Episcopus Mazzariensis. Cupientes Pastorali sollicitudine vniuersum gregem nostrę Fidei Dominica dispensatione cōcreditum tum salutaribus imbuere disciplinis, tum deprauatos ab eo mores excutere, atque etiam vitiorum semitas euitare,

Haec Synodus card. Spinolae celebrata fuit anno 1641 et typis data Panormi eodem anno.

tare, eumdemque ad rectam viuendi normam totis viribus amplexandam promouere; hæc omnia, & singula ad Animarum nobis commissarum salutem, nostræque Diœcesis vtilitatem saluberrimè pertinentia, non sine præuia vniuersorum in hac Diœcesana Synodo legitimè congregatorum matura deliberatione, & consilio à Sacrorum Canonum, & Oecumenici Tridentini Concilij sanctionibus minimè aberrantes, absoluto nostræ Visitationis decursu, diuini Numinis afflatu, decernimus, sancimus, & statuimus.

Trid. sess. 24. c. 2. de refor. c. decern. 18. dist.

DE FIDE CATHOLICA, & de rebus ad Fidem pertinentibus.

Liber Primus

Cap. I.

PAstoris fidelium gregi iugiter inuigilantis id esse primum, ac præcipuum munus, curam, ac sollicitudinem Nobis semper innotuit, vt Catholica Fides, quam Sancta Romana colit, docet, ac tuetur Ecclesia, sinceritate integra, & illibatâ permaneat; sine qua, vt inquit Apostolus: Impossibile est placere Deo; cum sit humanæ salutis initium; nostræ iustificationis funda-

ad Heb. 11.

damentum; eorum, quę Christiana fouet Religio sustentatrix; rerum sperandarum substantia, & sempiternæ beatitudinis bonorum operum subsidio assecutrix. Quapropter vniuerso fideliũ Gregi nostræ directioni peculiariter commisso pro pastorali munere non oscitanter inuigilaturi, firmissimum peroptantes reliquarum constitutionum iacere fundamentum, à fide potissimum exordiẽdum duximus, vt quam vno corde veneramur, & credimus, eamdem vna oris confessione profiteamur; nec non cognitione per speculum in enigmate à Deo hábita, quæ infallibili almæ Matris Ecclesię nouimus auctoritate comprobata, sincero cordis affectu, & externa animi significatione complectamur.

DE FIDEI PROFESSIONE
Cap. II.

1 ++ PRaua Hæreticorum dogmata à callido humani generis hoste, zizaniarum seminatore, in perniciem Animarum introducta, vt venenum, & Ecclesiæ corruptelam detestantes, nec non Sacrosancti, & Oecumenici Concilij Tridentini Sanctionibus pro viribus firmiter inhærentes, præsenti constitutione manda- Trid.de ref.sess.24.c.12

 mus,

Trid. sess. 24. c. 2. mus, vt omnes, & ſinguli, qui eccleſiaſtica beneficia curam Animarum habentia fuerint aſſecuti, quique prouiſi fuerint de Canonicatibus, & Dignitatibus in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiatis, teneantur ad minus infra bimeſtre poſt adeptam poſſeſſionem curam Nobis, aut noſtro Generali Vicario publicam Orthodoxæ Fidei profeſſionem emittere ad formulam à Pio V. ſanctiſſimæ memoriæ præſcriptam, & hìc appoſitam; ſecus prouiſi fructus nō faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Qui verò ad Dignitates, vel Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiatis fuerint prouecti, non ſolùm coram Nobis, aut noſtro Generali Vicario, ſed etiam in Capitulo ſub eadem pœna profiteantur.

2 Inſuper ij, qui publicè, aut priuatim domi ſuæ, vel alienæ, docendi munere funguntur, *Trid. sess. 25. c. 2.* quarumlibet ſcientiarum, aut artium notitiam tradentes, etiam ſi primis ſolùm grammaticę rudimentis alios erudiant, omneſque Verbi Dei Concionatores, quique in cauſis Fidei ſollicitationes, patrocinia, & iudicia quomodolibet exercent, librorumque Impreſſores hac noſtra Conſtitutione compræhendantur, ſub pœnis in Bulla Pij Quinti appoſitis.

3 Deinum eadem Fidei profeſſio emittatur

ab

ab omnibus, qui in Diœcesanā Synodum conuenient, quam singulis annis pro temporum, ac rerum exigentia, annuente Patre luminum, indicere pollicemur.

4 Vt autem mandati huius executio futuri decursu temporis firma habeatur; volumus eos omnes, qui Fidei professionem emiserint, à nostro Magistro Notario in aliquē certum librum, vel in litteras beneficij, cæterarumque facultatum cum die, & anno diligenter referri.

Additiones, & Variationes

ad num. 1. Et si Fidei conseruatio principaliter pendeat à Pastoribus ordinariam potestatem habentibus; nihilominus rationis conuenientia suadet, quod etiam maximè dependeat à Confessoribus, qui delegatam habent iurisditionem in conscientias; æquum ideò est, vt hi quoque professionem Fidei emittant coram nostro Vicario Generali, vel alia persona à Nobis deputanda.

TENOR PROFESSIONIS Fidei.

5 EGO N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vti-

ex Bull. Pij iv. idib. nouembr. 1654.

vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cęlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; Et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesię obseruationes, &

con-

constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vmquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramēta nouæ Legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesię Catholicę ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substan-

ſtantialiter Corpus, & Sãguinem, vnà cum Anima, & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti; fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ Panis in Corpus, & totius ſubſtantię Vini in Sanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrũ Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe; Animaſque ibi detẽtas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Chriſto regnante, venerandos, atque inuocandos eſſe; eaſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas, firmiſſimè aſſero. Imagines Chriſti, ac Deiparę ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtrã agnoſco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorũ Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à ſacris

Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, Ego pariter dãno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adiuuãte) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Sic me Deus adiuuet, & hęc sancta Dei Euangelia.

QVID PAROCHI pro Fide Catholica, & Christianis moribus præstare teneantur.

Cap. III.

Animarum cura licet præcipuè Episcopis sit demandata; immediatè tamē post ipsos Archipresbyteri, Parochi, alijque Ecclesiarum Rectores oues sibi commissas agnosce- *Trid. Sess. 23. de refor c. 1.*

re, & cuſtodire tenentur; proinde hæc ipſis obſeruanda diſtrictè præcipimus, & mandamus.

✠✠ 1 Primum omnium, vt adſit, qui Paruulis petentibus frangat panem: Parochus quilibet ſua in Eccleſia ſingulis Dominicis diebus poſt prandium, ſiue ante, ſiue poſt Veſperas pueros, & puellas, alioſque rudes, & imperitos campanulæ ſigno per vicos locorum præeunte ad Eccleſiam conuocatos fidei rudimenta accuratè edoceat, & explanet: hoc eſt myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & reliquos articulos fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, eiuſque Sacramenta, præſertim Confeſſionis, & Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ, eoſque ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus præſtandam erudiat.

Cap. vt quiſq. de vit. & honeſt. cler. cōc Magũt. c. 45. trid. ſeſ. 5. c. 2. ſeſ. 24. c. 4. de reform. bul. Pij v. incip. Ex deb. Paſtor. off. dat. Rom. 6. octob. 1572.

Curet etiam ſuadere parentibus, ac dominis, vt filios, & famulos ſibi ſubditos ad Eccleſiam mittant, vel ſecum ipſi perducant, vt de prædictis omnibus edoceantur. Cui quidem functioni nos quoque aliquãdo, & ſi grauibus muneris Paſtoralis curis iugiter occupati, perſonaliter tamen in noſtra Cathedrali intereſſe minimè grauamur.

2 Quoniam verò verbi Dei prædicatio ad

Pa-

Parochos post Episcopum spectat, studeant Parochi per se, vel alium planè idoneum virum, à Nobis approbatum diebus Dominicis, & alijs solemnioribus, inter, aut post missarum solemnia, vt populo Euangelium, quod est animarum pabulum, exponatur. Demonstrent item plebi sibi commissæ viam, qua possit, Deo adiuuante, peccata omnia euitare, eamdemque ad Sacramentorum diligendam frequentiam, & virtutes amplexandas adhortentur. Dies festiuos in hebdomada occurrentes, Vigilias, & Quatuor Tempora Populo denuncient, vt non minus à vitijs, & illicitis sæculi voluptatibus, quàm à cibis, & escis abstinentes, piè discant viuere, & in timore Dei educari. *Trid. sess. 24. c. 7. de refor.*

✠✠ 3 Vt autem oues sibi cõmissas Parochi valeant facilius dignoscere, nominatim appellare, pascere, & custodire, vniuersam Paræciam frequenter visitare non desinant, in ea habitantium vitam, & mores inuestigantes. Diligenter enim ab ipsis est inuigilandum, num in sua Parochia reperiantur Hæretici, vel de hæresi suspecti, aut quouis modo à Fidei veritate declinantes; aut qui hæreticalia verba protulerint; aut qui Hæreticorũ libros, & scripta legerint, vel apud se retinuerint, quę auctoritate Sedis Apostolicę quo- *id. sess. 24. c. 3. de refor.*

uis modo sunt prohibita. Quos omnes nulla interiecta mora Nobis, vel Vicarijs nostris, aut hæreticæ prauitatis Inquisitoribus denuncient. Studeant etiam, an adsint homines sordidis peccatorum vitijs inuoluti; nempè publici Blasphemi, Adulteri, Concubinarij, Incestuosi, Lenocinia exercentes, qui blanditijs, & suasionibus Animas Christi sanguine redemptas Diabolo tradunt; Coniuges commercio separati, vsurarijs contractibus implicati, veneficijs, sortilegijs, vel magicis artibus vtentes, inimicitijs, & antiquatis odijs inuoluti. Vndè pro factorum, & facinorum qualitate confestim Nos in Ciuitate, seu nostrum Vicarium Generalem, Vicarios Foraneos in Diœcesi consulant, vt ad opportuna remedia pro culparum exigentia maturè deueniatur.

4 Aegiptios item (qui Cingari nuncupantur) sæpiùs admoneant, & curent, ne superstitionibus, falsis diuinationibus, ludisque fallacibus simplicium, & muliercularum mentes decipiant. Quare si fortè illos talibus inuolutos inuenerint per loca nostræ iurisdictioni subiecta, eos non prætermittant ad Nos, vel Vicarios nostros deferri. Et diligentissimè videant, an mysteria Fidei, & omnia ad salutem necessaria re-

ctè

ctè sciant; an nouis ritibus vtantur, an diuini timoris expertes aliquid operentur ab Ecclesiæ moribus, & Institutis alienum.

5 Quod si in præmissis omnibus Archipræsbyteri, Parochi, alijque curam Animarum exercentes Nobis obtéperare neglexerint; sciant primò seueram, & districtam pro Animabus sibi commissis Altissimo reddituros rationem; deindè à Nobis pro culparum qualitate, tam Canonicis sanctionibus inflictis, quàm pecuniarijs, & corporalibus, alijsque arbitrio nostro exigendis pœnis, se fore puniendos. *Glos. in c. fin. de pœnit.*

Additiones, & Variationes

ad num. 1. Christus Dominus non solùm ad Templum confluentes erudiebat, sed etiam Ciuitates, & Castella circuibat; tantus erat amor, & sollicitudo boni Pastoris, qui Nos in sortem ministerij huius elegit, & vocauit, omnibus relinquens exemplum, quod sequamur. Itaque Præsbyteros, & Parochos enixè hortamur, vt seriò considerantes lacrymabilem rusticorum hominum ignorantiam, mittere velint Sacerdotes idoneos, qui illos expectent in Campestribus Ecclesijs, ibique ad missam conuenientes planis verbis Doctrinam Christianam doceant, partesque ad Confessionem requisitas explanent, &

præſertim contritionis actum eliciendi modum tradant.

ad num. 3. In agibilibus ordo poſtulat, vt expeditæ executioni cuiuſcumque rei ſuum tribuatur tempus. Propterea bis in anno, menſe ſcilicet Maio,& Nouembri, peracta viſitatione, Eccleſiarum Rectores relationem cõficiant, in qua deſcribant occurrrentes defectus, quod ſi nulli occurrunt, negatiuam relationem conficiant. Confectam quiſque ſuo proprio nomine ſubſcribat, locique Vicario tradat; Vicarij autem locorum deſignatis ſupra menſibus, ad Nos illos tranſmittant. Qui illorum in præmiſſis defecerit pœnæ vnciarum decem, & alijs arbitrio noſtro taxandis ſe ſubiectum nouerit.

DE LVDIMAGISTRIS Cap. IV.

1 CVm omnis ætas prona ſit ad malum, & à teneris annis aſſuefieri ad bonum magni ſit operis, & momenti, propterea pueriles, ac molles annos non tantùm Parochorum eruditionibus, Parentum correctionibus, verùm etiam Pręceptorum ſcientijs, & doctrinis dirigere operę pretium eſt. Itaque, vt Paſto-

ſtorale munus expoſcit, creditarũ Nobis ouium commodo proſpicientes, omnibus, & ſingulis Ludimagiſtris, quibuslibet artibus, aut doctrinis cęteros erudire cupientibus diſtrictè pręcipimus, & mandamus; vt nullatenus audeant deinceps aperire gymnaſia, ſiue publica, ſiue priuata, niſi prius à Nobis, vel à noſtro Generali Vicario, præuio tamen examine fuerint approbati, & Fidei emiſſa profeſſione, docendi in ſcriptis obtineant facultatem. Tranſgreſſores huius præcepti, & carceris, & decem aureorum, vel exilij pro cuiuſque demeritis pœna mulctabimus. Declarantes ijſdem ſubiacere pœnis eos, qui actu nunc alios erudiunt, niſi intra duos menſes pręmiſſa exequantur.

2 Omnes igitur Ludimagiſtri à Nobis Puerorum eruditioni expoſiti, vel exponendi, vt decet pios, & idoneos Præceptores, pro ſuſcepto munere debitè, ac rectè pręſtando id primum curent, vt Pueri Catholicæ Fidei rudimenta percipiant; Doctrinæ Chriſtianę libellum ab Eminentiſſimo Cardinali Bellarmino editum, memorię mandatum ſæpius in hebdomada recitẽt; optimis diſciplinis, & moribus informentur; ſalutaribus imbuantur monitis, ac præceptis, cæteraque in eos officia præſtentur, quæ Leo X.

in

in Lateranensi Concilio præstanda esse sanciuit. *in Cõst. incipit Superne dispositionis. § 32*
Congregationes itidem ob spiritualis vitæ directionem in nostra Diœcesi erectas, vel erigendas vti frequẽtent, adhortari non desinant, moneantque prauas hominum consuetudines, & commercia vti fugiant, singulis saltem mensibus sacramentaliter confitentes, atque ineffabilem Augustissimę Eucharistię, Dominicæ Passionis, & Deiparæ Virginis deuotionem cordibus instillent.

5 Insuper in virtute sanctę Obedientię pręcipimus, eisdem Ludimagistris, vt eos solummodo libros Pueris interpretentur, qui Christianæ Religioni, vel pietati nullatenus aduersari videantur. Alios verò libros, si qui sunt obscænis, & turpibus rebus, siue latino, siue italico, vel alio idiomate conscripti, aut fabulosis amasiorum equitum pugnis, & amatorijs Poetarum carminibus referti, neque explanent, neque legi patiantur: itemque omnes alios ab Ecclesia prohibitos. Si enim iuxta Apostolum corrumpunt bonos mores colloquia praua; quanto magis facilis hęc ętas periclitabitur, si ex huiusmodi venenatis fontibus bibere assuescat? Quare maximo curent opere, vt Pueri sacrorum, & spiritualium librorum lectione vigentem vnà

cum

cum ætate foueant pietatem.

In ijs si Ludimagistri deliquerint, tum pœnis in indicibus librorum prohibitorum contentis, tum alijs arbitrio nostro irrogandis subiacebunt.

Hæc omnia Vicarius Generalis in Vrbe, & Foranei in Diœcesi, an ita seruentur, diligentissimè perquirant, & Nos quàm citò commonere non desinant.

DE VERBI DEI Prædicatione.

Cap. V.

1 CHristianæ Reipublicæ pernecessaria, & maximè vtilis est Verbi Dei prædicatio à Pastoribus Animarum ex Tridentini præscripto per se ipsos, vel alios idoneos viros exercenda. Per eam enim Fides diuina humanis cordibus inserta magnum suscipit incrementum; idcircò ad diuini verbi præcones pacem, ac bona euangelizantes nostra hæc dirigitur oratio.

Sess. 24. c. 4. de reform.

Isa. 52. 7.

Primùm ergo eos maximè curare oportet; vt non solùm præceptis, & exhortatione ædificent, verùm etiam vita, & moribus ad pieta-

1. Chor. 9. 27. tem Populos erudiant, ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur.

++ 2 Regulares in proprijs Ecclesijs concionaturi coram Nobis se præsentent, & benedictionem petant. Alij verò omnes Concionatores, siue sæculares, siue regulares extra suorum ordinum Ecclesias concionaturi, antequam prędicandi munus aggrediantur, examini se subijciant. Qui diligenter à nostris Examinatoribus interrogati de ijs, quæ necessariò ad hanc Apostolicam functionem fructuosè, & laudabiliter exercendam spectare videntur, obtentam approbationem, & facultatem à Nobis gratis concedendam Vicarijs Foraneis præsentabunt, vt ab eis recognoscatur, & ad verbum Dei disseminandum missi, hæc, quæ inferimus præcepta, studeant adimplere.

Loca, quę in sacris Scripturis abstrusa, vel c. relatū dist. 37 intellectu difficilia repererint, sic explanare nitantur, vt ne latum quidem vnguem ab eo sensu discedant, quem vel Ecclesiæ auctoritas, vel Leo x. Lat. cōc. cōst. 21. vnanimis Doctorum sententia recepit, vel consentiens Sanctorū Patrum doctrina cōprobauit.

Smāda. Tr. sess. 4. 3 Caueant item, ne incostantes, & lubrici sint in dicendo; neuè huc, atque illuc omni doctrinæ vento circumferantur; sed Ecclesię, quæ

co-

columna est, & firmamentum veritatis, inhærentes, sanum, & irrepræhensibile verbum annuncient, omissa congerie inanium fabularum. Subtiles, & infructuosas disputationes semper fugiant; nec imperitæ multitudini referant opiniones, & argumenta Hæreticorum; sed capacitati audientium se conforment; in Euangelij explanatione summoperè inuigilent, à vitijs, & peccatis Populos deterreant; Sacramētorum frequentiam suadeant, non adulterantes verbum Dei inanium verborum, & vanę eloquentię strepitu, nec se ipsos prędicantes; sed iuxta Apostolicam formam Iesum Christum, & hunc Cruci fixum; vt prædicatio sit, non in doctis sapientiæ verbis, & in sublimitate sermonis; sed in ostensione spiritus, & veritatis. Toto igitur pectore incumbant, vt vitia ex animis hominum radicitùs euellantur, & virtutes inserantur, vel iam insitæ conseruentur.

Eph. 4. 14.
ad Tit. 28
2. ad Chor. 2 17.
1. ad Chor. 1 23.
1. ad Chor. 2 13.
1. ad Chor. 2, 4.

4 In vitia, & peccata, in quibus magis Populum volutatum, & procliuiorem cognouerint, vehementiùs inuehantur, omni tamen patientia, & doctrina, atque ita afficere studeant auditores, vt abiectis sæcularibus desiderijs, carnisque illecebris abdicatis, peccata sua dolenter defleant, iudicij extremi memoria, & ignis ęter-

Tim. 4. 3.

ni propositis supplicijs, Populos à flagitijs, & facinoribus auertant. Interdum commemoratis cœlestis vitæ præmijs ad virtutes hortentur, & accendant.

Neminem nominatim, aut tacitè designantes insectentur, nec alios verbis asperis offendant cum scandalo auditorum, sed potiùs Populum piè admoneant, & doceant Præpositis obedientiam esse præstandam, præsertim ijs, qui inuigilant, quasi rationem pro eorum Animabus reddituri; eosque ad quietam, & tranquillam vitam cum omni pietate coniunctam erigere conentur.

Si quempiam paupertatis nomine commẽdauerint, non nisi de nostra, vel Vicariorum nostrorum licentia in scriptis obtinenda præstetur.

§ Sacræ concionis tempore missæ sacrificium in Ecclesia non peragatur, neque in confessionarijs sint Confessarij ad audiendas confessiones, aut Eucharistia ministretur. Loca virorum, & mulierum tela, vel si fieri possit, tabulato intermedio distinguantur, ne ex immodestia oculorum Animas deprædantium, mens à verbi diuini auditione detrahatur.

Nocturno tempore nunquam ad Populum sa-

ſacra Concio habeatur, ſub pœna interdicti. Vbi verò de Chriſti Domini Paſſione conſuetum erat feria quinta in cęna Domini poſt prandium prædicare; vel alio die; ſic diſponatur, vt omnimodè ante Solis occaſum ſacra concio terminetur. Si verò ex piorum cõſuetudine in matutino feriæ ſextæ in Paraſceue erit prædicandum, non ante Solis ortum hoc peragatur, vt ſcandala, quæ intermedijs tenebris emergunt, omninò tollantur; ſi ſecus factum fuerit, Eccleſia interdicto ſubiaceat, & Concionatoribus facultatem prædicandi ex nunc pro tunc auferimus.

6 Caueant Eccleſiarum Rectores, ne vllum Concionatorem, ſiue ſęcularem, ſiue regularem, in Eccleſijs ſibi commiſſis ad prædicandum admittant, niſi prius recognita huius muneris facultate noſtro ſigillo, & alijs ſubſcriptionibus ſolitis munita; quæ quidem facultas prædicandi non extenditur ad Sanctimonialium monaſteria, niſi id à Nobis ſpecialiter conceſſum fuerit. Rectores verò, vel Archipræsbyteros, ſi id neglexerint, carceris, alijſque arbitrio noſtro pœnis damnamus. Quòd ſi quis auſu temerario ſine vlla noſtra facultate concionem ad Populum habuerit; vel huiuſmodi licentiam

eis,

eis ad quos ſpectat non oſtenderit, per ſex menſes illum carceri deputamus, alijſque pœnis, tam de iure, quàm arbitrio noſtro plectemus.

7 Cæterum diſtrictè omnibus præcipimus, vt, ſi quæ ſcurrilia, aut riſum parientia, indecora, aut morum probitati aduerſantia à Concionatoribus diuini verbi prædicationi, dictis, vel factis immiſceri perſpexerint, Nos omni, qua poterunt, feſtinatione, certiores faciant, vt in eos grauiter, penſata exceſſus qualitate animaduertamus.

Additiones, & Variationes.

ad num. 2. Ne ignorantiæ exceptio releuet traſgreſſores, quæ Sancta Sedes de Prædicatoribus regularibus ſtatuit, ſubnectimus.

EX BVLLA CLEMENTIS X.

Incipit: Superna. *Dat. Romæ* 11. *kal. Iulij.* 1670.

REgulares, qui in Eccleſijs ſui Ordinis prędicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere; prædicare tamen poſſe quamuis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem ne dum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſijs licere Regularibus prædicare;

eoſq.

eosque contrauenientes ab illo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris, alisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis Fel. record. Gregorij XV. Prædecessoris nostri incipientis: (Inscrutabili Dei prouidentia) coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque iuxta, & rationabili causa contradicere non debere. Et huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratorijs sui Ordinis sermonem coram Populo, vel in Ecclesijs, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum, licèt clausis ianuis, & nullus Secularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos quamuis ab Vniuersitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos, etiam si Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueuerint, quo ad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licèt occultas, prędicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum

pum generatim prohibere Regularibus; quin in Ecclesijs suorum Ordinum prædicent.

DE PROHIBITO CONVICTV cum Infidelibus, atque illis ab Ecclesia Missarum tempore expellendis.

Cap. VI.

1 CHristianorum mores Infidelium commercio, ac necessitudine, pręsertim in conuiuijs, & commessationibus sępissimè deprauari experimento satis, & abundè comperimus. Non enim fieri potest ex Salomonis testimonio, quin picis contactu manus inquinentur. Paucis enim concessum, vt Nanzianzenus asserit lilium inter spinas esse.

Eccles. 13

Ergo vt Christifidelium nostræ curæ pastorali commissorum omnem omninò mores deprauandi viam Infidelibus deinceps occludamus, districtè pręcipimus, & inhibemus, ne vlla Christiani cum Infidelibus consuetudine, amicitia, seu familiaritate, deuinciantur, præsertim in commessationibus; nec ad eorum conuiuia accedentes, nec eos ad sua inuitantes, cum quibus nec in eodem cubiculo dormiendum, neque in eadem domo erit cohabitandum.

c. Nullus 28. q. 1. *c. Iudęi c. ad hęc c. fin. de Iudęis.* *c. omnes 28. q. 1*

Si

Si qua fortè ægritudine laborent, eorum siue opera ad morbi curationem, siue medicinis non vtantur. Denique commune quicquam cum illis non habētes, eorum in omnibus commercium, conuictumque pro viribus detestentur, sub pœnis in Bulla Gregorij XIII. quæ incipit (Aliàs piæ memoriæ) contentis. *c. nullus cit. & Grego. xiij. in bul. inc. aliàs pi.*

Qui verò Fidelis cum Infideli concubuerit, pro huiusmodi facinoris immanitate, nouerit, se anathematis gladio protinus feriendum, & sacrorum Canonum pęnis, alijsque arbitrio nostro imponendis seuerè plectendum. *c. si quis 28. q. 2.*

2 Ea, quæ Christiana Religio piè veneratur, & colit, cuiusmodi sunt Calices, Cruces, Sanctorum, aut Agni benedicti Imagines thecis inclusæ, aliæque res sacræ, nullo modo Infidelibus, siue ad vsuras percipiendas, siue alio quocumque prætextu tradantur, ne ipsorum subiaceant ludibrio, quod Christiano zelo excandescentes æquo animo ferre nec possumus, nec debemus. Qui verò secus audebit, suo malo, qua nos molestia affecerit, experietur. *c. nullus de pign.* *c. Episcō p⁹ nullū*

Quamuis in Ecclesia concionem audituri non solùm admittendi, sed etiam inuitandi sint Infideles, vt diuini verbi semen excipientes, ad Dominum conuerti, æternęque vitæ valeant fę- *de cōsec dist. 1* *c. cleric. circa fin dist. 11*

D lici-

c.nō li- licitate potiri; eos tamen, dum ſacroſanctum
ceat. 1. miſſæ Sacrificium peragitur, in Eccleſiam in-
q. 1. troduci, nedum in ea immorari prohibemus. Quare ad tollendas Infidelium ſubſannationes, contumelias, irriſiones, & cōuicia, quibus non mediocriter piorum religionem, pietatemque ſua perfidia, ac temeritate perturbarent, extra Eccleſiam, per eos, ad quos ſpectat, expellantur. Quod ſi bis moniti parere neglexerint, per vim turpiter foras eiecti publica fuſtigatione mulctentur.

DE BLASPHEMIA
Cap. VII.

VT Dei Omnipotentis, atque vniuerſorum cum ipſo perenniter in Cœlo regnantium honor, & gloria quò ad fieri poſſit, in dies augeatur; nec non deteſtabile Blaſphemiæ malum, Diabolo præceptore, introductum, nimirum, vt hic incipiat ſocios habere, quos æternum poſſideat, criminis conſortes, penitus extirpetur, & aboleatur; contra impudentes Diuinæ Maieſtatis, & Sanctorum eius, Blaſphemos inſurgimus, vt à tali, tantaque Dei
Leu. c. 4 iniuria, abſtineant; quam primo in lege veteri

Deus

Deus, in noua deinde Imperialia Iura, ac Pontificia Decreta acerrimo supplicio punire consueuerunt. Summorum igitur Pontificum cùm Gregorij IX. tum Leonis X. atque etiam Pij V. & Sacrorum Canonum Statutis inhærentes, præsenti Constitutione statuimus, ac decernimus, vt quicumque Laicus, siue Clericus palàm maledicta, conuicia, aut obscœna verba in Deum, ac Dominum nostrũ Iesum Christum, vel in eius Beatissimam Genitricem, vel in aliquem Sanctorum, & maximè infidelitatem redolentia, plena veneno mortifero, lingua protulerit, aut dęmonem appellauerit sanctum, nedum pęnis sacrorũ Canonum, & Apostolicarũ Constitutionum mulctetur, verùm etiam alijs, tam corporalibus, quàm arbitrio nostro pecuniarijs, pro qualitate blasphemię, loci, & personæ, imponendis districtè puniatur.

Exo. 20. Aut. vt nõ luxuriẽtur. Pius V. cũ primum. c. 2. & fi de maledicis. & c. si quis per capillũ. 22. q. 1.

2 * Porrò monemus omnes, qui huiusmodi impios homines blasphemantes audierint, vt asperiùs, si id liceat, obiurgent; si verò grauitas, vel qualitas blasphemię maius quid exposcat, ** Nobis, vel nostro Vicario Generali, vel Vicarijs Foraneis in Diœcesi denuncient, aut hæreticæ prauitatis Inquisitoribus.

** cõcil. late. sub Leon. X. sess. 5. ibicũq; blasphemãrit au dierit. ** cõc. lat. vbi sup. &*

Confessarios autem admonemus, ne osci-

tanter, aut leuiter cũ huiuſmodi Blaſphemis ſeſe gerant, ſed acerba, ac ſeuera impoſita pœnitentia, in eos animaduertant, iuxta ſacri Lateranenſis Concilij Decretum. Inſuper omnes Concionatores, Confeſſarij, Curati, Patresfamilias, ac Domini, vt tantum facinus eradicetur, ſimul eius enormitatem, diuinam ſimul indignationem, qua decet vehementia, populis, pœnitentibus, filijs, ac famulis ſignificare non deſinant, vt à talibus conuicijs, & blaſphemijs abſtiſtentes ad diuini Nominis, Deiparæ Virginis, Sanctorumque omnjum laudes ſeſe conuertant.

Iul. iij. i cõſt. quę incip. in multis. cõc. lat. ſub Leo. x. ſeſſ. 9. de refor curię.

Additiones, & variationes.

ad num. 1. Adeò frequens blaſphemiæ vitium in plebeis, vt etiam in publicis locis non ſine piarum aurium offenſione perpetrare audeant. Quos grauitas tam deteſtabilis offenſæ non mouet, ſaltem ignominiæ corporalis pęna deterreat; ſancimus, vt quotquot ex plebe in publicis locis deliquerint, ſeuerè à Vicarijs locorum, vt infra præſcribitur, puniantur nullo iuris ordine ſeruato, ſed defacto cognita veritate, tergo nudatus delinquens, illi ligneus morſus funiculis ex auribus pendens ad modum fręni, in os intromittatur; deinde vel in ijſdem locis delicti, vel ante fores Eccleſiæ ponatur,

præ-

præſeferens ſcriptam ante pectus cauſam ſui delicti. Nobiles verò per menſem carcere publicò mulctentur.

DE VENEFICIS, MALEFICIS, Diuinatoribus, Superſtitioſis, & Abutentibus Sacra Scriptura.

Cap. VIII.

1 QVandoquidem complures vtriuſque ſexus perſonæ propriæ ſa- *c. nō obſeruatis*
lutis immemores, & à fide Catholica declinan- *26. q. 7.*
tes ſuperſtitionibus, ſortilegijs, & magicis artibus diaboli fraude ſe dedũt; propterea dignum fore cenſuimus merita coerctione tanto ſcelere abſtrictos reprimere.

Excommunicationis igitur latæ ſententiæ *Sixt. V.*
vinculo innodamus, cuius abſolutionem nobis *in conſt.*
reſeruatam, volumus, & iuxta Summorum *incip. cæli, & terræ crea-*
Pontificum ſtatuta, noſtrumque arbitrium pu- *tor. &*
niri mandamus omnes vtriuſque ſexus venefi- *Vrb. viij*
cos, maleficos, incantatores, ſtriges Demonum *in cõſtit*
familiaritate vtentes, alioſque quocumque no- *euitãdũ*
mine nuncupatos, qui magicis artibus, quibuſ- *1631.*
dam ligaminibus, nodis, caracteribus, verbiſque obſcœnis, ſacra profanis immiſcendo, ac de-

c.quicũq 6.q.3 deceptionibus amatorijs pudicos ad libidinem flectentibus, mentes hominum quò volunt mouere, perturbare, & corporibus officere pollicentur, vel in huiusmodi exercitio versantur, eisdemque pœnis diuinatores, & sortilegos penitus obnoxios volumus.

Sacerdotes, vel alij Clericali militię adscripti, siue etiam Laici, qui Sacramentum aliquod, Sacramentalia, vel quæ sacrarum rerum nomine decorantur, ad huiusmodi nefarios, & damnabiles vsus immiscuerint, vel tradiderint, commodauerint, vel quomodolibet illis vsi fuerint, eadem pariter spiritali pœna plectantur, præter alias animaduersiones à Nobis, pensata sceleris qualitate, & Religionis violatione, iuribus inhærendo, seueriùs infligendas.

2 Mandamus etiam vniuersis nostræ Ciuitatis, & Diœcesis, Archipræsbyteris, Parochis, cunctisque Fidelibus nostræ Pastorali curæ concreditis sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, vt si quempiam magicis artibus, veneficijs quibuscumque, vel maleficijs vacantem, vel horum criminum suspicione laborantem cognouerint, Nobis, vel nostris Vicarijs il-
Innoc.8 Leo x licò denuncient, vt in ipsos iuxta sacrorum Canonum, & Conciliorum Statuta procedatur;

idem-

idemque reuelandi munus apud Sanctissime Inquisitionis Officium præstare poterunt.

3 Moneant Archipręsbyteri, Parochi, Concionatores, & Cōfessarij grauissimum sanè scelus, & omni iure prohibitum perpetrari, cum maleficia alijs dissoluuntur maleficijs. Quo circa Homines talibus maleficijs affecti, nequaquam à melefico etiam parato petant, sed potiùs corde contrito, & humiliato, à Domino veniam exposcentes, confessione, lacrymis, eleemosynis, & orationibus, diuinæ satisfacere studeant Majestati, & ad salutiferum exorcismorum beneficium recurrere non vereantur. *c. si quis Ep: sep. 26. q. 5. c. aliquã ti. c. si quis ari oles.*

Si quæ prauæ consuetudines, seu superstitiones cum nostræ Religionis integritate nequaquam consentientes irrepserint, eas vigilans Archipræsbyterorum, Parochorum, & Confessariorum cura protinus extirpabit. Et notum sit omnibus, & pręcipuè mulieribus, ne audeant infirmis, infirmitatis sanandæ prætextu, orationes, ab Ecclesia, seu à Nobis non approbatas, applicare, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: approbatas verò non nisi intelligibili voce, sub pœna carceris, alijsque arbitrio nostro. *c. nō liceat 26. q. 5.*

✠✠ 4 Vt petulantium ingeniorum effrenem licen-

centiam, & improbitatem, districtiùs cohibeamus; mandamus vniuersis nostrę curę Pastorali commissis, vt nemo vnquam Sacræ Scripturæ verba ad prophana, ideſt ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, iocoſa, ludibria, infamia, vana argumenta, ſchemmatica, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, famoſoſque libellos, vel ad id genus alia audeat detorquere, & vſurpare.

Additiones, & variationes

ad num. 4. Si in camo, & fræno omnium iniquorum maxillas conſtringere Regius Propheta monet, id præcipuè neceſſarium videtur ad extirpandum abuſum verborum ſacrę Scripturæ. Poſthac qui inciderit in aliquod criminum numero quarto deſcriptorum, per duos menſes carcere plectetur.

DE EXORCISTARVM OFFICIO & Sacris Exorciſmis.

Cap. IX.

1 ✠✠ QVicumque maleficiatos, aut energumenos exorcizaturus eſt, nullo tali fungatur munere, niſi prius exorci-

orcizandi licentiam, ſcripto exaratam, à Nobis, vel à noſtro Generali Vicario obtinuerit. Huiuſmodi autem obtenta facultate, ieiunio, & oratione munitus è Chriſti Seruatoris ſententia ab omni læthalis culpæ labe mundatus ſuperpelliceo; & ſi Sacerdos fuerit, etiam ſtola indutus, aliiſque ſeruatis, quæ in Rituali Pauli Papæ V. accuratè præſcribuntur, ſine vlla quæſtus ſpe, aut curioſa percunctatione, exorciſmos obeat in Eccleſia, in qua Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel Sanctorum Reliquiæ aſſeruantur; non in priuatis ædibus, niſi perſona exorcizanda, vel ægritudine afficiatur, vel nobilitate præfulgeat. Idque, obtenta à Nobis facultate, nec ante Solis ortum, nec poſt occaſum, nec in conſpectu multitudinis, præſentibus tamen viris honeſtis, & ætate grauibus, & ſi fieri poteſt, conſanguinitate, vel affinitate proximis ei, qui exorcizatur, præſertim ſi ſit fœmina.

2 In exorcizando verbis videatur loqui, quæ imperium ſonent, fide tamen plenus, & humilitate non deſtitutus, maximaque munitus circumſpectione. Nullam exorcizandis ſuadeat medicinam, ſi fortè illos indigere cognouerit, ſed Medicorum ope curandos relinquat. Nullis denique peculiaribus exorciſmi formu-

lis, ritibus, verbis insolitis, aut secretis vtatur; sed sacrarum litterarum, & exorcismis Ecclesiasticis, quibus Sancta Romana Ecclesia vtitur in Rituali Romano; cæteraque præstet, quæ probatorum libris ad hoc munus ritè obeundum æditis, frequenter consulendis, inuenerit esse præstanda.

Additiones, & variationes

ad num. 1. Sciant Parochi, se non solùm à Nobis facultatem habere, sed & posse, & debere exorcizare. Illos tamen hortamur, ne in tam periculosa re, alijs vtantur exorcismis, quàm præscriptis in Rituali Romano, aut ex probatis Auctoribus in lucem æditis.

DE SACRIS SANCTORVM Reliquijs.

Cap. X.

Cōc. nic. 2. art. 1

1 SAnctorum Reliquias à Nicena Synodo fontium salutarium nomine decoratas, maximo in honore habendas, Catholica semper docuit Ecclesia: cum eorum corpora domicilium habitantis gratiæ, & Templum Sancti Spiritus, fuisse cunctis in aperto sit. Idcircò, vt debitus illis cultus, & honor impertiatur;

tur; præcipimus quibuſcumque Eccleſiarum Rectoribus, Capellanis, Confraternitatum, & Societatum Superioribus ſignanter verò curam Animarum habentibus, vt illas, qua decet Religione, venerentur, non in Tabernaculo Sacroſanctæ Eucharistiæ, ſed in propria feneſtella, vel in alio ſatis religioſo loco claue obſerato, thecis aureis, vel argenteis, aut aliàs eleganter ornatis; diſtinctis loculis diſpoſitas, propriiſque nominum inſcriptionibus connotatas cuſtodiant, vt facilè ibi repoſitę dignoſci poſſint, atque ad earum venerationem pio ſpiritus impetu Fideles inuitentur. *Tridēt. ſeſſ. 25. de reliq. & vener. Sanct.*

Caueant, ne vllus in earum oſtenſione quęſtus, vel acceptio perſonarum intercedat, ſed ſuperpelliceo, ſtolaque amicti luminibus accenſis Populo, vel priuatę perſonę gratis illas oſtendere minimè grauentur.

2 Quoniam verò, quæ in noſtra Cathedrali, vel quibuslibet Ciuitatis, aut Diœceſis Eccleſijs Reliquię aſſeruantur, ab ijſdem locis nullo ſunt negotio dimouendæ; propterea nemini liceat eas cuicumque perſonę titulo donationis, commodati, vel alio quocumque tradere ſub pœna excommunicationis ipſo facto ſubeunda; neque ad ægrotos etiam magnates, aut alios *c. corpora ſāct. diſt. 1. de cōſecrat.*

quocumque prætextu deferantur, & apportentur; nisi à Nobis, aut à nostro Generali Vicario in Vrbe, & Foraneis in Diœcesi specialis super hoc sit obtenta facultas.

Si quisquã Cathedralis Reliquias, vel aliarũ Ecclesiarum proprias fuerit sacrilega temeritate in totum, siue in partem furatus, à fidelium protinus communione ipso iure separetur.

✠✠ 3 Nemini liceat etiam in Ecclesijs Regularium sub pęna excommunicationis, & interdicti respectiuè, Reliquias nouiter inuentas Populo adorandas proponere; nisi priùs nostra ex Tridentini Sanctione interueniat recognitio, & approbatio.

Trid. vbi supra

Insuper à nemine etiam Regulari sub eadem pœna publicè veneranda quæcumque alia Reliquia exponatur, nisi exhibita Nobis authentica fide de ipsius Reliquiæ veritate, nostrisque litteris obtentis; sed eæ dumtaxat Reliquiæ exponantur, quæ vel à Nobis, vel à nostris Prædecessoribus fuerint approbatæ, vel ex peruetusta consuetudine venerari solitæ.

c. cũ eo de reliq. & vener Sãct. & trid. vbi sup. Sa. cõg. ex Barbos. alleg. 97. n. 12.

4 In processionibus, vel expositionibus Augustissimæ Eucharistiæ, & præsertim in Sepulchris Feriæ v. in Cœna Domini, nullæ Sanctorum Reliquiæ deferantur, vel exponantur.

In

In alijs autem debito cultu, & apparatu venerentur.

Si ex ſupradictis aliquid neglectum fuerit, Vicarij noſtri diligenter aduertant, & Nos moneant; alioquin pęnas tum ab ipſis, tum à tranſgreſſoribus arbitrio noſtro exigemus; & Reliquiæ contra formam pręſcriptam expoſitę nunquam deinde exponantur.

Additiones, & variationes

ad num. 3. Corporibus Sanctorum, Reliquijs pariter, quas iudicium Epiſcopi declarauit inſignes, lampas die, noctuque ſemper colluceat, etiam ſi in Sacrario ab Eccleſia diſtincto conſeruentur; vbi tamen commodè fieri poteſt.

DE SACRARVM IMAGINVM Veneratione.

Cap. XI.

CVm ſacrarum Imaginum cultus, ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ Catholicæ Inſtituto, in Templis, & Oratorijs haberi, & cuſtodiri cępérit, vt eis, quos repręſentat, religionis, & pietatis officia exhibeamus: ideò quæcumque ad religioſam illarum venerationem ſpectare videntur, Sacrorum Canonum, & Oecumenici *Trid. ſeſſ. 25. c. 2.*

Tridentini Concilij vestigia sectantes, præsenti Constitutione decernimus.

1 Primùm igitur, vt Pictorum, & Sculptorum temeritatem, & imperitiam coerceamus, expressè præcipimus, vt in pingendis, vel sculpendis sacris Imaginibus, nihil incertum, superstitiosum, apocriphum, aut insolitum apponant, nihil etiam indecorum, nihil turpe, inhonestum nihil, aut impudica venustate depictum intermisceant, sed sculpant, & depingant Imaginis formam, habitum, statum, & modum, scripturarum, veritati, ac Sanctorum Patrum traditionibus, Christianæque pietati concordem.

Tirdẽ. Sess. 21. de venerat. Sãc. & Sacr. imagin.

Pictas verò Imagines, quæ obscœnitatem, turpitudinem, falsitatem, vel nimium ornatum, & eleganter præseferunt, atque ostentant, Fideliumque mentes ad risum, & lasciuiam prouocant, atque à deuotione auertunt, Archipręsbyterorum, vel Parochorum cura corrigi mandamus, vel deleri, aut omninò ab Ecclesijs, & Oratorijs publicis, si extant, remoueri; Idemque ex eorum speciali munere præstabunt Testes Synodales, quorum interest Nos certiores facere.

2 Hortamur insuper eosdem Pictores, &

Sculp-

Sculptores, vt nullas in posterum Imagines venales exponant, quę obscœnitatem exprimant; idcircò Vicarij nostri, nec non Archipræsbyteri, & Curati omnem adhibeant diligentiam, vt à lasciuis, & impudicis opificijs omninò abstineant, eos, vt par est, monendo, ac deterrendo, ne similibus impliciti cum propria, & aliorum pernicie labores suos dissipent.

Nullæ de nouo Imagines, quæ non fuerint benedictæ super Altaria publicè exponantur adorandæ in quibusuis Eccles[illegible] seu Oratorijs; neque in ijsdem prophanæ virorum, aut mulierum effigies quouis prætextu depingantur, vel depictæ exponantur.

In Sanctorum anniuersarijs, gratulationibus, festisque diebus, Ecclesiæ, seu Oratoria nullo pacto impudicis historijs, & Imaginibus exornentur, sub pęna interdicti dictis Ecclesijs.

Tabellæ, quæ vulgo (Voti) nuncupantur non nisi Imaginibus, & sepulturis Sanctorum, seu Beatorum ab Ecclesia approbatorum appendantur.

3 Hortamur etiam, atque per viscera Christi Domini obnixè obsecramus vniuersos, qui sub nostra sunt Pastorali sollicitudine, vt domesticos parietes ità Sanctorum studeant Ima-

gi-

ginibus exornari, ficuti fericis, & aureis áulæis decorari gaudent. Obfcœnas, & lafciuas pęnitùs arceant, & execrentur, ne filijs, famulis, & alijs quibufcumque perfonis domum ingredientibus fcandalum, & periculum pręparetur.
✠✠ 4 Demùm, vt affiduè facræ Imagines debito honore afficiantur, & Fidelium mentes ex earum afpectu ad pietatem faciliùs excitentur, exprefsè mandamus, vt ijs tantùm affigantur in locis, quibus omni temporis lapfu à deformitate, & corruptione pręferuentur; neque à Pictoribus in locis immundis depingantur, fub pœna fcutorum decem.

Additiones, & variationes

ad num. 4. Quanta veneratione digna fit Crux noftrę falutis, pręcipuum inftrumentum, quifque Fidelium fcit: nihilominùs tantæ dignitatis immemores nonnulli multoties debitum loci honorem illi negant. Ad hunc neglectum abolendum nullus audeat apponere, aut conferuare Cruces in locis indecentibus, fub pęna carceris per menfem.

Quia Populus propter ardens ftudium erga fanctitate confpicuos, & Ecclefiaftici ob imperitiam Decretorum in exponendis eorum Imaginibus, errare quandoque folent; proindè

De-

Decretum, ſub Vrbano emanatum, de hac materia deſcribere hìc putauimus.

DECRETVM

S. D. Vrbani Papæ viij. de nouis Imaginibus, Fer. v. Die 2. Octobris MDCXXV.

IN generali Congregatione Sac. Rom. & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram S. D. N. Vrbano Papa viij. &c.

Cum Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Vrbanus diuina prouidentia Papa viij. die 13. Martij 1625. Decretum ediderit infraſcrip. tenoris, videlic.

S. D. N. ſolicitè animaduertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum ſanctitatis, aut martirij fama, vel opinione defunctis, qui, & ſi neque canonizationis, neque beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratorijs, atque Eccleſijs, alijſque locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis, aut radijs, ſeu ſplendoribus proponuntur; miracula, & reuelationes, aliaque be-

neficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volensque proinde huiusmodi abusibus, pro debito officij pastoralis, occurrere, re etiam cum Illustrissimis, & Reuerendissimis D D. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuersa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata, ac discussa, declarauit, & statuit, & decreuit, ne quorumuis hominũ cum sanctitatis, seu martyrij fama (quantacumque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud, venerationem, & cultum præferens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs tam secularibus, quàm regularibus cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, seu martyrij fama, vel opinione, (vt præfertur) ce-

le-

lebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia, tãquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat. Et ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur; negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sanctitas sua.

Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque Imagines cereas, aut argenteas, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, & lampades, siue alia quæcumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omninò, prout supra facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ab eaque probanda.

Declarans, quòd per supradicta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui

ante per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur,

Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur, vniuersis,& singulis, tam Ordinarijs, quàm hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtè præcipit, vt in sua quisque Diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prędictis, Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra superius exposita fiant: transgressores verò, si regulares fuerint, priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon & suspensionis à diuinis: si verò Clerici seculares, priuationis pariter suorum officiorum, suspensionis à diuinis, & ab administratione Sacramentorum, exequutioneque suorum ordinum respectiuè, alijsque arbitrio prędictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum, pro modo culpæ infligendis pęnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, aut quoquo modo affixerint, vel formauerint, cæterique artifices, circa præmissa, qualitercumque delinquentes,

prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarij, alijsque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrarijs quibuscumque non obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit aliquo modo prætendi, voluit, vt Decretum huiusmodi, seu illius exemplum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ affixum omnes proindè arctet, atque afficiat; ac si vnicuique personaliter intimatum fuisset, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Postmodum verò idem Sanctiss. D. N. à quibusdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & Imagines, quas in posterùm offerri contigerit, recipere, & antea oblata conseruare liceat, Sanctitas sua, quæ tantummodò voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam diuinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re

priùs

priùs cum Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D D. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus communicata, præſenti Decreto declarat. Quod ſicut nunquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & Imaginum huiuſmodi, ita, vt nulli deinceps hęſitationi locus relinquatur, ſtatuit in pręſentiarum, ac decreuit, vt quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumue alium publicum ſecularem, ſeu regularem, tabellas, & Imagines, aliudue ſimile quiſpiam detulerit, ac interceſſio hominum inter Sãctos, vel Beatos non aſcriptorum, quamuis cum martyrij, vel ſanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetrauiſſe, dixerit: liceat Eccleſiaſticis perſonis Eccleſiarum, locorumue prædictorum curæ præpoſitis, tabellas, & Imagines, ſiue pictas, ſiue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratię fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcij fuerint, atteſtationibus recipere, atque approbantibus Ordinarijs, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire, ibidẽque iam amota collocare, & aſſeruare, vt ſi quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, ſeu

Ca-

Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi ſanctitatis qualeſcumque probationes, Apoſtolicæque Sedis iudicio tunc examinandæ. Contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.

DE SACRIS Repræſentationibus.
Cap. XII.

++ SAlutaris Chriſti Paſſio, glorioſa Martyrũ prælia, aliorũque Sãctorum laudabilia geſta, ac illuſtria facinora, nec in ſacro, nec in profano loco recitentur, ſeu repræſententur, niſi præhabita à Nobis eorum, quæ ſunt repræſentanda, ſedula cognitione, & in ſcriptis noſtra licentia obtineatur; ne fortè ſub ſpecie pietatis aliquid apocryphum, indecorum, inhoneſtum, vel ab hiſtorica pietate diſſentaneum immiſceatur, & repreſentetur; neuè hominum peruerſitate, ea, quæ Fideles ad pietatem excitare deberent, ad riſum, & contemptum commouere videantur. Qui autem huic Conſtitutioni obtemperare neglexerint, pœnis, arbitrio noſtro iuxta perſonarum conditionem, inferendis ſubijciantur.

Hor-

Hortamur autem, vt potiùs ab his abstineatur; cum experientia compertum sit plus distractionis, & periculi ex talibus, quàm pietatis fructus haurire solitos Fideles.

Additiones, & variationes

Noua semper, ex talibus repræsentationibus (etiam si sacræ sint) & grauia Ecclesijs incommoda, & Animabus pericula emergunt. Vt tam illis, quàm istis nostræ Pastoralis sollicitudo consulat; sancimus quòd nunquam in Ecclesijs, Oratorijs, aut in atrijs, alijsque domibus, quocumque nuncupentur nomine, illarum seruitio deputatis, recitationes, & repræsentationes fiant, etiam si sacræ sint, sed omninò in loco profano, & in isto, extra sacrum Quadragesimæ tempus, agantur. Insuper volumus, quòd contrauenientes his nostris sanctionibus, ipso facto etiam Recitantes, excommunicationem incurrant.

DE NOVIS MIRACVLIS
Cap. XIII.

NE diabolica versutia Fidelium mentes decipiantur, cum Populus rerum nouitate gaudeat, vtpotè pronus ad cuncta facilè creden-

dendum; neuè quicquam Christianæ detrahatur; si quæ miracula à sacris Imaginibus emanare, vel quacumque alia ratione nouiter patrari contigerit, Vicarij, & Superiores Ecclesiarum Nos priùs certiores faciant, quàm ea recipiant: intereà neque per Cōcionatores in publicis concionibus, neque per alias quascumque personas, etiam exemptas quomodolibet publicentur, nisi priùs diligenter inspecta, accuratèque discussa à Nobis iuxta Sacri Tridentini Concilij Decreta fuerint approbata. *Tri.sess. 25.c.2*

Insuper neque aliquando cum Vulgi concursu, Populique clamore aliquid pro miraculo euulgetur, quod re vera non est, ne vera miracula in contemptum abeant.

Nullum ob id Altare de nouo erigatur, nisi à Nobis priùs causa cognita, & diligenter perpensa, facultas obtineatur scripto exarata.

DE IEIVNIO
Cap. XIV.

1 IEiunium à Deo Optimo Maximo salubriter institutum, & à Catholica Ecclesia statutis diebus, & conditionibus, dispositum, per quod spiritales eidem Deo Primi-

Sess. 25. de delec cib c. ie- iun. de cõsecr. dist. 5.

tias, & Decimas offerimus: ex Sacrosancti Tridentini Concilij præscripto cunctis nostro regimini subiectis summopere commendamus: & hæc pro eius obseruatione, quæ sequuntur, præcipimus.

Primùm igitur omnes vtriusque sexus Fideles, vbi vigesimum primum annum expleuerint, nisi eos legitimum excuset impedimentum infirmitatis, ætatis, vel alterius iustæ causæ, ieiunia Quadragesimæ, Vigiliarum, & Quatuor Temporum iuxtà almæ Matris Ecclesiæ mandatum, & consuetudinem obseruent.

Quibus verò de Medici consilio permittitur vesci carnibus, eas nullatenus emere, seu comedere liceat, nisi Medicorum præhabita in scriptis licentia, illaque per Vicarios generalem in Vrbe, & foraneos, vel Parochos in Diœcesi recognita, & firmata. In huiusmodi verò licentijs concedendis cauti sint Medici, ne tam facile, aut sine iusta, ac rationabili causa cum tanta animarum suarum pernicie ad illas deueniant.

✠✠ 2 Vniuersis deinde Cauponibus, Macellarijs, Hospitibus, Receptatoribus, Heris, & Patribus familias interdicimus, ne in suis Cauponis, Hospitijs, Tabernis, Diuersorijs, Domibus, vel Habitationibus quemquam ieiunio-

rum

rum tempore cibos vetitos præparare, coquere, aut edere permittant, nisi tantùm ijs, quibus, de licentia Medicorum, aut aliquo alio priuilegio legitimè ministrari possint sub pœnis, & mulctis his, qui in aliquo præmissorum contrafecerint, vel pecuniarijs in pios vsus erogandis, vel alijs arbitratu nostro imponendis.

3 Studeant demùm Ieiunij cultores, vt dum caro ab alimentis abstinent, mens pariter à culpa ieiunet. Parum enim prodest homini, ex sacrarum litterarum sententia, carnem ieiunijs macerare, nisi animus ab iniquitate reuocetur, vt in liberis mentibus ad cœlestium rerum amorem, & contemplationem erigantur diuinisque laudibus, eleemosynis, alijsque pijs officijs occupati, ieiunium, quod Dominus Isaię ore delegisse se testatur, seruare iure censeantur. Is. 58. 6 Is. vt su

Dies verò, quibus tenentur Fideles ieiunare, sunt in sequenti Catalogo descripti, iuxta quem Parochi inter missarum solemnia denuncient.

Additiones, & variationes

ad num. 2. Vicariorum cura sit omnium, quæ in numero secundo præcipiuntur, obseruantiam diligenter exigere, & eorumdem conscientias, si negligentes fuerint grauamus.

IEIVNIA SERVANDA
ex præcepto S. Rom. Ecclesiæ

4	IEiunium Quadragesimale incipiens à Feria quarta Cinerum vsque ad Sabathum Sanctum inclusiuè, exceptis diebus Dominicis.
	Vigilia Pentecostes.
23 Februar.	Vigilia S. Matthię; si verò fuerit annus bisextilis die 24. & quoties inciderit duabus vltimis diebus baccanalibus, non est anticipanda.
23 Iunij	Vigilia S. Ioannis Baptistæ; si inciderit Fer. quinta Solemnitatis Corporis Christi, erit anticipanda Feria quarta ante dictam Solemnitatem.
28 Iunij	Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli.
24 Iulij	Vigilia S. Iacobi Apostoli.

9 Au-

9	Augusti	Vigilia S.Laurentij Martyr.
14	Augusti	Vigilia Assumptionis B.Mariæ Virginis.
23	Augusti	Vigilia S.Bartholomæi Apost.
20	Septébr.	Vigilia S. Matthęi Apostoli.
27	Octobr.	Vigilia SS. Simonis, & Iudæ Apostolorum.
31	Octobr.	Vigilia Sanctorum omnium.
28	Nouébr.	Vigilia S.Andreę Apostoli.
20	Decébr.	Vigilia S.Thomę Apostoli.
24	Decébr.	Vigilia Natiuitatis Dom. nostri Iesu Christi.

IEIVNIVM QVATVOR TEMP. Anni, quæ celebrantur.

In Verę	Feria quarta, sexta, & sabatho post prim. Dominicam Quadragesimæ.
In Aestate	Feria quarta, sexta, & sabatho post Dominicam Pentecost.
In Autumno	Feria quarta, sexta, & sabatho

post

	post festum exaltationis sanctæ Crucis.
In Hyeme	Feria quarta, sexta, & sabatho post tertiam Dominicam Aduentus.

EX SYNODALI Constitutione.

7 Decembris	Vigilia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, in Ciuitate Drepani iuxta votum emissum, quod in tota nostra Diœcesi enixè seruari hortamur.
1 Februarij	Vigilia Purificationis Beatæ Mariæ Virginis in Ciuitate Marsaliæ iuxta votum.

DE FESTORVM DIERVM Cultu.

Cap. XV.

1 CVm potissimum ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes dies festos salubriter institutos esse non ignoretur; maximè cauendum est, ne quisquam illis ad diuinam offensionem, & propriæ Animæ perniciem abutatur.

Festos igitur Dies diuino Numini dicatos, sacrisque officijs consecratos, & ad recolenda diuina beneficia in genus humanum collocata, studeant Fideles, etiam regulares piè admodum venerari, Sanctis debitos honores tribuere, & eorum vitam, atque egregia gesta imitari. *c.1.&c. cõquest. de fer. c. de hym. de cõsec dist. 1. sess. 25. c. 12. de regular.*

Proindè singuli, legitimè non impediti, curent hisce diebus Sacrosanctæ Missę Sacrificio magna animi pietate, attentione, reuerentia, & deuotione interesse, sic, vt eliminetur, & exterminetur omninò praua illa consuetudo, si qua extat, qua nonnulli Diaboli fraude decepti Ecclesiastica præcepta paruifacientes post alicuius suorum obitum, Templum Dei per annum, vel aliquot menses non adeunt (prohibente Apo- *1. Thess. 4. 12.*

ſtolo, vt non contriſtemur, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent,) ſed potiùs preces ad Deum pro eis effundant, vt à pœnis liberentur.

✠✠ 2 Curent propterea à media nocte præcedentis diei, vſque in ſequentis noctis dimidium ab omni ſeruili opere etiam rurali ceſſare; videlicet ab arando, ſerendo, vindemiando, piſcando (excepta piſcatione thymnorum) merces transferendo, & huius generis alijs, niſi neceſſitatis cauſa, quo caſu Vicarius Generalis in Vrbe, Foranei in Diœceſi, licentiam præſtabunt; curantes, vt in ea concedenda aliqua eleemoſyna erogetur pro beneficio Pauperum, vel piorum locorum arbitrio eorumdem Vicariorum, iuxta operum, & perſonarum qualitatem, ſuper quibus eorum conſcientias oneramus.

Tabelliones, ſeu Notarij contractus iuratos, actuſque cuiuſuis generis nullos conficiant; Iudicibus quoque nec ius dicere liceat, niſi in caſibus à iure permiſſis; nec naues onerentur, vel mactentur in macellis animalia, niſi obtenta licentia.

3 Molere verò triticum, Ruſticis capillos, & barbam radere, haurire aquam ad irrigandos hortos; iumenta calceare, nonniſi poſt veſperas concedimus.

Onera, & sarcinas sine Vicariorum licentia deferre omninò prohibemus, exceptis iter incœptum prosequi, & continuare volentibus; quo casu etiam eorum iumenta calceare licebit.

4 Si quicquam verò cum his oneribus comestibile deferatur ad Populi commoditatem, quacumque hora ingredi condonatur; vendere autem, vel emere dicta comestibilia, & alia ad victum necessaria, nemini liceat, nisi à matutino vsque ad signum horæ tertiæ, quæ vulgò dicitur (il segno, seu la campana della Messa maggiore,) & tunc cum ostiolo officinæ tantùm aperto. A quo signo tertię vsque ad finem Missæ maioris inclusiuè ab omni venditione cessabunt.

Hac autem constitutione non compræhendimus Aromatarios pro venditione rerum suarum apothecarum ad necessitatem ægrotãtium; dummodò officinæ maiori ex parte clausæ detineantur.

5 Pœna non obseruantibus festa erit carolenorum quindecim, quorum tertia pars distribuetur inter Fiscales, & Erarios, qui capturæ interfuerint; ita vt semper Fiscalis duplum eius, quod quilibet Erarius percipit accipiat. Aliæ verò duæ partes simul & eleemosynæ festorum

pro licentijs concessis solutæ penes personam per Vicarios deputandam reponantur, vt duobus quibusque mensibus Nos certiorati summam collectam in eosdem pios vsus applicare possimus. Declarantes insuper, vt si quem inuenerimus crebriùs, & pertinaciùs festorum obseruantiæ transgressorem, vltra prædictam pœnam, maiori, ac etiam corporali pœna punituros.

6 Dies autem festi, qui à Fidelibus nostrę curæ subiectis, tam iure, quàm nostro Synodali præscripto, erunt seruandi: pro singulorum notitia sequentibus Catalogis proponimus; & diebus Dominicis Populo per Parochos denunciari mandamus.

Additio

ad num. 2. Quoties conceditur huiusmodi facultas gratis concedatur absque vlla eleemosyna iuxta Innocentiana.



TA-

TABELLA FESTORVM
Regulata iuxta Constitutionem Vrbani viij. quę incipit *Vniuersa per Orbem*. Sub dat. Romæ Die xiij. Septembr. 1694.

FESTA
Obseruanda ex Præcepto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

IANVARIVS
1 Circumcisio Domini.
6 Epiphania Domini.

FEBRVARIVS
2 Purificatio B.M.V
24 S.Matthias Apostol.& in anno bisextili celebratur die 25.

MARTIVS
19 S.Ioseph Cōfess.
25 Annūc.B.M.V.

MAIVS
1 SS.Iacobus,& Philippus Apostoli.

IVNIVS
24 Natiuit.S.Ioannis Baptistæ.
29 SS.Petrus,& Paulus Apost.

FESTA

Localia Diœcesis.

IVNIVS

15 S. Vitus, Modesť & Crescētia Ciues in Vrbe, & Terra Partãnę, cuiꝰ S. Vitus est Patronus.

21 Inuētio Imagin. B. Marię V. Miraculorũ infra męnia Ciu. Alcami Patr.

AVGVSTVS

7 S. Albertus Confess. in Ciuit. Drepani, & Montis S. Iuliani Patronus.

16 S. Rocchus Confess. in Terra Gibellinę Patronus.

NOVEMBER

6 S. Leonardus Confess. in Terra Partinici Patronus.


12 S. Nimpha Virg. & Mart. in Terra eiusd. Nomin. Titular. & Patrona.

DECEMBER

6 S. Nicolaus Episc. & Cõfess. in Ciuit. Salem Titular. & Patronus.

29 S. Thomas Cantuariensis in Ciuitate Marsaliæ Titularis, & Patronus.

Li-



LIBER

SECVNDVS

DE SACRAMENTIS.



Nigenitus Dei Filius Emmanuel, & Legifer noſter Mundum aduentu ſuo pijſſimo conſecraturus, hominum corda Fide purificare, ac diuitias bonitatis ſuæ cunctis volens patefacere, perpetui amoris vinculo humano generi deuinctus, ſeptem Myſteria, quæ Sacramenta nuncupantur; licèt non omnia ſingulis ad ſalutem neceſſaria, cęleſtes, veluti quoſdam theſauros inſtituit; vt per ipſa tamquam inſtrumentales cauſas ſalutiferæ Paſſionis ſuæ meritis inſignitas, donum ſanctificantis gratiæ abundè nobis effundendo, inopiam noſtram locupletaret, noſque æterno Patri per eadem conſecratos offerret. Quamobrem ea tamquam Fidei funda-

Tri. ſeſ. 23. c. 4.

menta, per quæ omnis vera iustitia, vel iucipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur; ac veluti septem riuulos, ex sacro Redemptoris nostri latere dimanātes ad Animarum nostrarum candorem cōparandum, vel sordes abluendas, omni reuerentia, & sanctitate suscipi, tractari, atque administrari, rationi congruum est.

sess. 7. in proœm

DE SACRAMENTIS
In genere.
Cap. I.

1 SAcerdotes igitur, & Animarum Curatores in primis omni studio curent, vt lethalium culparum pondere exonerati ad Sacramentorum accedant administrationem; ne scilicet gratiam alij conferentes, ac cœlestes aditus referantes, sibi ipsis æternæ labis notam imponant, & beatitudinis fores turpiter Animabus suis occludant.

c. si iust. 1. q. 1.

Doceant proinde Parochi Populos, vt summa animi pietate, mente pura, humili reuerentia, & corde contrito ad Sacramentorum conuolent receptionem; ne iudicium sibi manducare, ac bibete, sed cœlestibus eorum diuitijs valeant repleri.

1. Cor. 11. 29.

In horum autem administratione Parochi ritus, & cœremonias ex more Sanctæ Romanę Ecclesiæ omninò adhibeant, ad vnguem obseruantes, ea, quæ in Rituali Romano accuratè præscribuntur: quo in omnibus functionibus semper vtantur, nihil illis addendo, vel demendo, quæ in eodem Rituali continentur sub pœna suspensionis à diuinis.

✠✠ 2 Cum gratis communicanda nouerimus, quæ gratis accepimus, & Apostolus magis cupiat mori, quàm vt gloriam hanc quis euacuet, omni vigilantia prouidēdum est, vt omnis auaritiæ, vel Simoniacæ labis suspicio de medio tollatur: idcircò Parochi pro Sacramentorum administratione nihil directè, vel indirectè verbis expressis, aut pactione, vel nutibus, aliaue tacita significatione petere audeant, vel pro mercede accipere, sub pœnis de iure statutis, alijsque arbitratu nostro infligendis. Si quid autem spontè eleemosynæ nomine, aut pietatis studio datur, liberum sit accipere; si tamen institutæ laudabilis consuetudinis ratio id postulauerit.

c. sicut c. cū in ecclesię, & c. cū ad apostolicam de simonia.

✠✠ 3 Nullus vnquam Sacerdos ad Sacramenta Christifidelibus ministranda admittatur, nisi de nostra licentia, sub pœna suspensionis à di-

uinis ipso facto incurrenda, & alijs etiam corporalibus arbitrio nostro infligendis. Permittimus tamen quemlibet Sacerdotem de licentia Parochi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare.

✠✠ 4 Mandamus item omnibus Ecclesiarum Curatoribus, ad quos legitimè spectat, vt in hebdomada sancta mittant ad Nos aliquem Sacerdotem, vel saltèm in sacris Ordinibus constitutum cum epistola personam, & missionis caussam designante, & cum capsula, in qua, distinctis loculis, & nominibus, tria asseruentur vasa argentea, vel stannea. Capsula ipsa duas habeat claues, alteram penès Parochum mittentem tutò custodiendam, alteram verò ad Subthesaurarium nostræ Cathedralis transmittendam, vt penès ipsum remaneat, ne in sacris oleis deferendis aliqua fraus interueniat. E supradictis vasis tantùm olei in minora vascula ex eadem materia conficienda, & distinctis item inscriptionibus litteris maiusculis connotata, infundatur, quantùm bombacium interiùs immissum ebibere possit, vt omne prorsus effusionis periculum arceatur. Hæc autem olea quotànnis renouanda non aliundè, quàm à Cathedrali petantur, & nouis acceptis, vetera cum bombacio com-

c. litter. de cõsec dist. 3.

comburantur. Ab Archipræsbyteris, vel alijs Ecclesiarum Rectoribus, quorum intereſt, alię Ecclesiæ recipiant. Quod si infra anni spatium prędicta olea deficerent, & aliundè haberi commodè nequeant, Canonis pręscriptum seruetur, & vnà cum consecratis non consecrata guttatim infusa misceantur. *c. quod in dubijs de cōsec eccl. vel altar.*

5 Monemus pariter & omnes, qui curam Animarum habent, vt quoties ad Sacramenta ministranda fuerint vocati, omni mora postposita, & ea, qua decet charitate, sedulò accurrant. Quod si renuerint, vel neglexerint, vltra mortalis peccati labem, pro culparum, ac negligentiæ qualitate, eos pœnis pecuniarijs, vel corporalibus nostro arbitratu plectemus; crescente verò cōtumacia, etiam ad fructuum beneficiorum priuationem ad tempus, vel in perpetuum procedemus. Nullus autem Parochus extra limites suæ Paræcię, in alienam messem manus immittendo, Sacramenta ministrare præsumat; nisi de proprij Parochi licentia, & facultate, vt vnicuique ius suum seruetur illæsum. *l. 1. inst. Iustin. in prob.*

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Abusus, sæpè mentito nomine consuetudinis se excepit; hac exceptione, multorum cupiditas tuetur in administratione Sa-

cramentorum. Ne errent in inuio, sed in via salutis incedant omnes, declaramus consuetudinem, de qua loquitur in fine huius numeri tantùm se extendere ad accipienda ea, quæ ab Innocentiana accipi permittuntur. Quòd si fortè alicubi secus seruatum est, tamquam abusum declaramus.

ad num. 3. Necessitas, maiusque Animarum bonum, aliquando postulat, quod Parochi alijs Sacerdotibus administrationem Sacramentorum committant. Propterea illis concedimus facultatem, quoties in Domino iudicabunt, substinendi in administratione prędicta aliquem Sacerdotem, dummodò sit ex probatis, & durante approbatione ad audiendas confessiones.

*ad num.*4. Licet in Rituali Romano in casu necessitatis permittatur permixtio olei non sacri cum sacro, attamèn ne hæc vllo modo etiam leuiter culpabilis sit, ex parte nostra præcipimus omnibus Ecclesiarum Rectoribus, vt statuto tempore mittant ad Nos vasa tantæ capacitatis, quæ recipere valeant totam quantitatem olei sacri, ipsorum iudicio requisitam pro collatione Sacramentorum in toto curriculo anni. Insuper adueniente casu admixtionis, illa fiat guttatim toties, quoties singularis necessi-

tas vrget; dummodò quantitas olei non sacri admixta nunquam excedat oleum sacrum.

DE SACRAMENTO Baptismi. Cap. II.

Baptismus Fidei Sacramentum à Christo Domino ante Passionem institutum, lauacrum regenerationis, splendor Animarum, per quem omnis originalis, & actualis culpa diluitur, & gratia confertur, & aliorum Sacramentorum ianua, maxima animi pietate, ac veneratione est ministrandus. Pro huius igitur Sacramenti recta administratione hæc, quæ præscribimus, omninò seruentur. trid. sess 5. de pec orig. ca. cum itaq. in fine. de cōsec dist. 4.

1 In Ecclesijs, vbi Animarum cura exercetur, fons baptismalis è marmore, aut è solido lapide in loco opportuno, & si fieri poterit, cancellis concluso, propè ianuam cōstruatur. Qui, vel ita sit diuisus, vt altera eius pars aquam contineat, altera verò aquam ipsam super Baptizatum effusam excipiat; vel fonti ipso vasculum aliud, seu fonticulus parua columna suffultus superimponatur, è quo aqua, dum baptizatur, in fontem maiorem decidens, per eius foramen c. omnis presbyt. de cōsec dist. 4.

in cisternulam subtus ipsum effossam subterlabatur.

Supra fontem ciborium, seu operimentum ligneum vncis ferreis firmiter fixum pyramidali, vel alio decenti opere dispositum collocetur, quod exteriùs panno, vel corio decoratum in fastigio habeat imaginem Sancti Ioannis Baptistæ Christum Dominum baptizantis, nisi huiusmodi historia in proximo pariete fuerit depicta. Desuper verò appendatur vmbella ex aliqua decenti materia confecta. Interiùs autem tabula transuersâ construatur loculus, seu armariolum pro asseruandis Chrismatis, & Cathecumenorum oleis, proprijs, ac peculiaribus nominibus litteris maiusculis sculptis; alijsque pro Baptismatis ministerio necessarijs. Prædicti ciborij ostium, seu valuæ sint latè patentes, & huic Sacramento ministrando accommodatæ, quarum clauis penès Parochum tutò custodiatur. In eo argenteum cochlear ab vno latere ad formam canaliculi depressum cum manubrio tantisper oblongo, & in extremo adunco asseruetur.

Vbi vas baptismale non est bipartitum, nec alius fonticulus ab ipso emergit, aqua è Baptizati capite defluens in eumdem fontem, ex

quo

quo hausta est, prout in aliquibus locis seruari comperimus, ne cadat; sed saltèm in vase portatili, eoque pręgrandi, recepta, proijciatur in proximum sacrarium ex lapide concauo, operculo ligneo, seraque, & claui munitum omninò construendum; in cuius medio adsit foramen aquam, cineres, & similia in cisternulam subtus extructam deducens.

2. Materia huius Sacramenti est aqua pura, & elementaris, non artificialis, quæ Sabatho sancto, vel Sabatho ante festum Pentecostes fuerit consecrata: si verò infra annum renouanda sit, vetere in sacrarium effusa; noua in benè purgatum fontem infundatur, & sacris cęremonijs consecretur. *trid. sess 7. de ba pt. cā. 2.*

Cum in aliquibus nostræ Diœcesis locis compertum sit aquam baptismalem nimietate sacrorum oleorum circumspersam facilè corrumpi; & interdum in ipsam sordes, & puluerem penetrare; idcircò mandamus, vt in consecratione aquę perpaucę guttulæ oleorum effundantur, & fons diligentiùs custodiatur; alioquin contrafacientes pœnas arbitrio nostro dabunt graues.

3. Forma huius Sacramenti sunt ea verba, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & *Matt. c. 28. 19*

Spi-

Spiritus Sancti; quæ paulatim clarè, & distinctè erunt pronuncianda, ne verbum aliquod illorum in baptizando omittatur.

4 Legitimus Minister huius Sacramenti est Parochus, vel alius Sacerdos de Episcopi licentia, nisi periculum, & necessitas Baptismi aliud exposcant. In his enim casibus quilibet poterit esse Minister; & si fieri valeat, semper seruetur ordo, vt Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono, Subdiaconus Clerico, Clericus Laico, Vir fęminæ præferatur; nisi pudoris gratia magis expediret esse fęminam, quàm marem nondùm videlicet edita prole, aut muliere baptizandi formam meliùs tenente.

c. in necessit. de consecr. dist. 4.

5 Et ne propter ignorantiam formæ Infantes Baptismo fraudentur; nulla mulier Obstetricis munere fungatur, sine nostra, aut Generalis nostri Vicarij, vel Foraneorum in Diœcesi in scriptis licentia obtinenda, quæ non antea ei concedatur, quàm diligenter de forma Baptismi examinetur, & instruatur, vt, quandò necessitas postulauerit, illam exactè valeat obseruare. Et quidem ad faciliorem mulierum, pronunciatione, potiùs vernacula, quàm latina lingua, eam proferat. Neque etiam eadem licentia est illi concedenda; nisi priùs iuramento se obstrin-

ſtringat gratis pauperculis mulieribus in partũ laborantibus auxilium prçſtituram. Obſtetrices, quæ ſine huiuſmodi facultate obſtetricandi munus exercuerint, & officio ſuo priuentur, & carceri per menſem mancipentur.

6 Parochus tamen obſtetrices, vt ſupra, approbatas frequenter admoneat, vt veram baptizandi formam retineant; nihil formæ, aut materiæ addant, vel detrahant, neque ſal aquæ neceſſariò admiſcendum arbitrentur: doceatque illas, vt, in baptizando intendant facere id, quod facit Eccleſia.

7 Nullos item adultos temere baptizet, nisi priùs per aliquot dies diligenti Cathechiſmo benè inſtruantur; vt piè affecti, ac ſufficienter inſtructi ad baptiſmum accedant, & ne fructu tanti Sacramenti priuentur, doceat eos de ante malè acta vita, & perpetratis facinoribus, ac peccatis verum animi concipere dolorem. Et nihilominus ſine noſtra licentia ad Baptiſmum non admittantur, niſi periculum immineat, vel vrgens neceſſitas aliud ſuadeat. *c. Baptizandos. c. Iudæi de cõſec dist. 4.*

8 Nemini liceat domi quemquam baptizare abſque noſtra diſpenſatione, niſi ob iuſtam, & neceſſariam cauſam concedenda: ſed natus Infans per eos, quorum intereſt ea cura,

ad Ecclesiam pro Baptismate suscipiendo ante tertium diem deferatur, nisi ob periculum vitæ domi fuerit baptizandus; & nullus audeat extra hunc casum, nec alicubi extra propriam Ecclesiam, vbi adest fons baptismalis, baptizare sine nostra expressa dispẽsatione. Quod si hoc mandatum despexerint, excommunicationis pœna afficiantur: atque in his casibus necessitatis, vel nostræ dispensationis, Parochus in libro Baptizatorum Infantis, Baptismum, nomen Patrini, tum eius, qui domi ad Baptismum, tum eius, qui in Ecclesia ad cathechismũ, & exorcismum adhibitus est diligenter cum anno, & die describenda curabit, iuxtà formam in Rituali Romano descriptam. Quod si domi baptizatus Infans superuixerit, solemnibus Baptismi cęremonijs non priuabitur. Itaque omninò intra tertium ab ortu diem, vel cum primum per valetudinem licuerit, in Ecclesia sistatur, vbi, si rectam Baptismi formam seruatam esse constiterit, ei tantùm ritus, & cœremoniæ Baptismi adhibeantur; si verò de eius Baptismo dubitetur, sub conditione baptizetur.

trid. sess 24. c. 2. de refor.

c. paruulos &c. placuit de cõsec dist. 4

9 Eadem ratione Infantibus expositis sub conditione Baptisma ministretur, etiam si affixum secum scriptum habeant; nisi, re perquisita,

ta, ita omnis dubitandi ratio propulsetur, vt absolutè sit eis omninò conferendum. c. de qui

Si Parochus nouerit ab Obstetrice aliquem b' de baptizatum esse in aliqua corporis parte, quę vitalem indicet motum, iterum in Ecclesia illum sub conditione baptizet; baptizatus autem in capite, nullo modo rebaptizetur. ptis. & ei' effec D. Th. 3. p. q. 68. art. 19. ad. 4

Ethnicorum, autem turpia, vel ridicula nomina Infantibus non imponant, sed (etiam inuitis Parentibus, & Patrinis) eorum tantùm nomina, qui Sanctorum, vel Beatorum numero sunt adscripti; ne Baptizati talium in cœlesti foro Aduocatorum patrocinio priuentur; vt quorum nominibus sunt decorati, imitentur exempla.

10 Qui de sacro fonte suscepturi sunt baptizandum, vnus, vel vna, vel ad summum vnus, & vna, ex Tridentini sanctione adhibeantur, quem postea teneantur Fidei rudimentis informare; propterea in Patrinos nullatenùs admittantur, qui prædicta nesciunt Infantes edocere; neuè similiter excommunicationis vinculo irretiti, publici vsurarij, vel concubinarij, vel quomodocumque infames, criminosi, vel qui eo anno, nec confessi fuerint, nec in Paschate sacram Eucharistiam sumpserint; nullus item trid. sess 24. c. 2. de refor c. vos ã- te de cõ- sec. dist. 4.

c. nolicet & c. monachi. dist. 4. Monachus, aut quiuis Regularis, Infantes in Baptiſmo ſuſcipere permittatur.

Moneat Parochus de ea, quæ in Baptiſmo contrahitur, cognatione, quæ matrimonium contrahendum impedit, dirimitque contractum. Contrahitur autem inter Baptizatum, & Baptizantem, Baptizatique Parentes tantùm, ac ſolummodò inter ſuſceptorem, & ſuſceptum, eiuſque Parentes.

trid. seſſ. 24. de reform. c. 2

✠✠ 11 Linteola, quibus Baptizati caput abſtergitur, profano vſui numquam inſeruiant; ſed benè purgata, vel in aliquem ſacrum vſum conuertantur, vel combuſta in ſacrarium recipiantur. Laicis nullo modo tradantur. Cauti ſint Parochi, ne ſacrum Chriſma, & oleum ab ijſdem attingatur.

trid. seſſ. 24. c. 2. Librum vnuſquiſque Parochus paratum habeat diligenter cuſtodiendum, in quo Baptizati, eius Parentum, & Patrinorum nomina, dies natiuitatis, & Baptiſmi vniuſcuiuſque deſcribatur.

12 Hortamur Puerperas, cum primùm domo poſt partum egredientur, vt ad Eccleſiam ſe recipiant, & Omnipotenti Deo gratijs perſolutis benedictionem à Sacerdote ſuſcipiant.

13 Ad ſuffocationis periculum, vitandum di-

districtè inhibemus, ne tenelli Infantes ante peractum annum in eodem cubili cum Matribus, aut Nutricibus, dormiant; Matribus sub pœna carceris per duos menses, Nutricibus verò fustigationis respectiuè.

14 Filij infantes quorumcumque Infidelium morti proximi omninò baptizentur etiam inuitis Parentibus; itidem baptizari volumus inuitis Parentibus Filios Infidelium, qui sunt Serui Christianorum, adhuc cessante periculo mortis; & curent Domini, quorum conscientia maximè oneramus, vt ab eorum educatione separentur.

Additiones, & variationes.

ad num. 11. Humana libertas variare non debet, quas Sancta Mater Ecclesia Spiritus Sancti lumine instructa, res materiales assumpsit ad exprimendos effectus Baptismi, quos inuisibiliter idemmet Spiritus operatur. Cum ergo ad nostram notitiam peruenerit, qnod ad illa verba: *Accipe vestem candidam*; pro expressione huius ritus vtantur aliqui lino sudario; mandamus Parochis, vt infra duos menses, vestem albam, sericam ad modum mozzettæ sine caputio fieri curent; illaque vtantur in posterùm ad prædicta verba.

DE

DE SACRAMENTO Confirmationis.

Cap. III.

QVamuis ad salutem necessarium minimè sit Sacramentum Confirmationis, sed conueniens dumtaxat, à cunctis Christifidelibus, vbi rectè rationis vsu pollere incœperint, summoperè est appetendum, nec sine lethalis culpæ incursione poterit contemni, & paruifieri. Per hoc enim perfectio, & plenitudo hominis Christiani acquiritur, firmitas, & robur in Fide comparatur, Fideles confirmantur ad pugnam, armantur ad agonem, Diaboli tentationibus, Mundi illecebris, carnis oblectamentis, fœdis, & indignis cupiditatibus fortiores euadentes.

trid. sess 7. de cõf

c. Spirit' sãct' de consecr. dist. 5

1 Propterea Nobis hoc Sacramentum ministrare volentibus, studeant Parochi supradicta omnia Populum in præcedenti festo edocere, quod itidem præstabunt ipso Confirmationis die: docentes insuper, quanta sit pietate, religione, ac reuerentia sumendum: & quod nullus ad ipsum ecclesiasticis censuris innodatus, vel mortali peccato irretitus accedat, quod vel Sacra-

glos. vlt in c. 1. de cõsec dist. 5

men-

mentali confeſſione, vel animi perfecta contritione priùs oportet expiari. Moneant etiam Sacramentum hoc, ob characteris impreſſionem, non eſſe ſine lethali ſacrilegi culpa reiterandum; eademque prout in Baptiſmo inter confirmatos, eorumque Parentes, ac ſuſceptores, ſpiritualem cognationem contrahi, idemque matrimonij naſci impedimentum.

trid. ſeſſ 24. de reform. matrim c. 2.

2 Nemini, qui ſeptennium nondum expleuerit Confirmationis Sacramentum confeſatur, niſi iuſta, ac neceſſaria cauſa interceſſerit. Patrinus ſi non fuerit confirmatus, non admittatur, & vnus, aut vna pro ſexu confirmandi eſſe debet; mas mari, fęmina fęminæ, niſi aliud neceſſitas ſuadeat, vel aliter Nobis videatur. Monachi, & Religioſi ad Patrini munus non admittantur.

c. in bap tiſm. de conſecr. diſt. 4. c. non plures de cõſec diſt. 4. c. Monachi de conſecr. diſt. 4.

Suſceptor teneatur confirmatum in catholica Fide, & probis moribus inſtruere, ſi Parentes hoc facere neglexerint. Turpia, & ridicula nomina in Confirmatione mutentur in nomina eorum, qui ſint in Sanctorum, vel Beatorum numerum relati.

c. vos ãte de cõſ diſt. 4.

3 Tanta autem huius Sacramẽti dignitas eſt, vt nõ niſi Epiſcopi cõferatur manu, ſancto Chriſmatis oleo frontem Confirmandi linientis.

c. oẽs & c man⁹ de cõſ. di. 5 trid. ſeſſ 7. c. ã. 3.

Con-

Confirmati frons ab aliquo Sacerdote cum bombicio, vel sudariolo, priùs benè abstergatur, posteà aqua lauetur, & combustum bombicium cum aqua in Sacrarium proijciatur. Omnes in hac sacra functione intersint Parochi, & describi curent Confirmatorum, eorumque Parentum, ac Patrinorum nomina, & Ecclesiam, vbi Confirmatio confertur, Episcopi conferentis nomen, aliaque omnia in Rituali Romano designata.

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Fraudes, quæ circa ætatem, & ineptitudinem Confirmandorum committuntur, quo ad fieri potest extirpare desiderantes; sequentem instructionem conficimus, atque præcipimus obseruandam ab omnibus, quorum interest cura Animarum. Primò Archipresbyteri, & Parochi statim ac monentur de tenenda Confirmatione, circumeant Parochiam, & quotquot inuenient, qui septennium expleuerunt, notent; opportunè deindè in sua quisque Ecclesia notatos instruat de ijs, quæ pertinent ad tale Sacramentum dignè, & ritè suscipiendum; singulis, quos benè instructos iudicauerit, det bollettinum sua subscriptione munitum. Et quisquis tale signum Nobis ostenderit,

ad

ad Confirmationem admittetur. Patrini verò, vt ea, qua decet, diligentia, ac deuotione suum munus exerceant, ne plus quàm duos eodem die confirmandos suscipiant sine nostra dispensatione.

DE SACRAMENTO *Eucharistiæ.* *Cap. IV.*

1 CVm Sacramentorum omnium præclarissimum, eorumque finis, & complementum, Sacrosancta Eucharistia esse dignoscatur, quam dilectissimus Dei vnigenitus suorum mirabilium memoriam faciens, instituit, vt veram, & ineffabilem sui præsentiam sub visibilibus Panis, & Vini speciebus exhiberet, cœlestique conuiuio Animas reficeret. Vndè tanti thesauri participes effecti in Deum ipsum concorporati transformaremur, & futuræ gloriæ pignus perfectissima cum illo vnione haberemus. Propterea, cum nihil sit illo admirabiliùs, nihil salubriùs, sanctiùs nihil, vtpotè in quo totius sanctitatis auctor, & cælestium charismatum, ac donorum fons verè, & realiter, ac substantialiter continetur; operæ pretium

est, vt summo cum honore, cultuque diligentissimo asseruetur, colatur, & ministretur; & iuxta eius excellentiam digniori loco collocetur. Tabernaculum igitur ligneum, aliaue materia constans totum auro, alioue conspicuo opere ab exteriori parte decoratum, ab interiori verò serico rubri, vel albi coloris, velo circumuestitum, atque adeò amplum, vt possit omnia vasa commodè continere; in maiori Altari, vel in alio decenti loco reponatur; & claue argentea, vel deaurata, ex qua flocculus sericis filis contextus dependeat, firmiter obseretur. Deforis etiam tentorio, vel conopæo eleganti, coloris temporum qualitati, & Ecclesiarum facultatati respondentis, contegatur. Ostiolum verò ipsius Tabernaculi, quod vnicum omninò sit, ab anteriori parte, ita latè, ac altè disponatur, vt ex eo, & in ipso sacra vasa facillimè queant extrahi, & reponi. Lumen ante illud diu, noctuque colluceat; quod si Sacristarum incuria extinctum reperiri contingerit, grauiter in eos animaduertatur.

✠✠ 2 In vnaquaque Paræciali Ecclesia, (vbi non fuerint) infra duos menses duę construantur argenteæ pixides intùs deauratæ; in quarum altera pręgrandiori Parochi tot consecratas par-

ticulas semper paratas habeant, quot & Infirmorum necessitati; & eorum, qui ad communionem accesserint, sufficiant; in altera verò minoris formæ, quoties opus erit, sacrum Viaticum reponatur ad Infirmos deferendum, sub pœnis interdicti Ecclesiarum, & alijs contra negligentes arbitrio nostro infligendis.

Particulæ sint prægrandiores, vt commodè digitis teneri possint, & Populo ostendi. Hæ verò nullibi consecratæ asseruentur, nisi in Ecclesijs Parochialibus, Collegiatis, Conuentualibus, aut Monialium; quæ octauo quoque die in Feria quinta, ob memoriam, qua Dominus tantum Sacramentum instituit, renouentur. Duæ item Hostiæ eodem die maiores consecrentur, quarum vna cum nouis consecratis Particulis reponat Celebrans in maiori pixide, cum altera verò Sacrificium perficiat, illamque cum veteribus Hostia, & formulis sumat, nulloque pacto renouationem agat per sumptionem solius veteris Hostię, nouam in eius locum reponendo, sed hoc præscriptum omninò seruetur.

3 Si intra missæ Sacrificium Eucharistiam ministrari contigerit, cautum sit Sacerdoti, ne suam propriam Hostiam frangat, vt alterum

communicet, ſed prçuideat quotquot ſint communicandi, vt totidem formç conſecrandç prçparentur. Caueat item, ne pro eorum communione plures, quàm tres, aut quatuor formulas ſuper patenam retineat ad ſummum; eas verò, quæ in Tabernaculo conſecratæ aſſeruantur, poſt miſſam porrigat.

Extra miſſam Sacerdos Populum communicaturus, ſuperpelliceo, & ſtola albi coloris ſit indutus, & duo cerei ac minùs ſuper Altare accendãtur; mundum ante Fideles communicandos linteamen extendatur, & vitreum vaſculum cum aqua ad purificandum, abſterſoriumque præparetur; deindè pietate graui, & magna reuerentia ſacram Euchariſtiam diſtribuet, ad quam nemini lethalibus culpis inquinato eſt accedendum; cum in ea candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula contineatur; ſed priùs ſe ipſum ex Diuino, & Eccleſiaſtico Præcepto Sacramentali Confeſſione purgabit, ne iudicium ſibi manducet, & bibat. Et quidem non intima ſolùm religioſi animi pietate, ſed externo etiam cultu, veſtituſque modeſtia, humili genufleſſione, armis depoſitis, viris certò quodam ordine ſeiunctis à mulieribus, ad ſacram ſinaxim recipiendam accedatur.

4 Ad tantum Sacramentum frequenter ſumendum ſępiùs hortemur Fideles, in quo Confeſſarij prudenter ſe gerant, vt non niſi magno communicandi deſiderio flagrantibus pluries in hebdomada concedatur, & quorum immaculata vita tanti eos faciat doni conſortes.

Dum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtratur, nullum vas ad pecuniam excipiendam apponatur, ne eleemoſynæ directè, vel indirectè extorqueri pro communione videantur.

‡‡ 5 Paruulis ante vſum rationis, publicis Concubinarijs, Meretricibus, Fœneratoribus, Blaſphemis, ac alijs eiuſmodi facinoroſis hominibus, nequaquam ſacra Hoſtia miniſtretur; niſi certis, & euidentibus emendatæ vitæ ſignis exhibitis, ab aliorum animis ſcandalum omne penitùs exemerint; nec damnatis ad mortem eodem die, quo morituri ſunt, detur; pridiè verò illis non ſubtrahatur.

Amentibus, ſiue phreneticis minimè dari poteſt; licebit tamen eis in fine vitæ Euchariſtiam ſumere, ſi indignitatis, vel alterius incommodi periculum nullum timeatur; & ante amentiam, vel phreneſim pij, ac religioſi animi ſigna demonſtrauerint.

c. is qui 26. q. 6. cõc. carthag. 4. c. 70.

6 Ne verò almæ Matris Eccleſiæ Præceptum

tum Paſchalis Communionis, quod à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè erit adimplendum, negligatur: initio Quadrageſimæ Ouium ſuarum Parochus numerum deſcribet. In Dominicis verò prima, & quinta Quadrageſimæ, ac in ſecunda die Paſchæ, vel per ſe, vel per Concionatores ad id frequenter Populum excitabit, vt omnes, & ſinguli vtriuſque ſexus Chriſtifideles, cum ad annos diſcretionis peruenerint, legitima in ætate conſtituti, prudentis Confeſſarij arbitrio penſanda, ſingulis annis in Paſchate, vt dictum eſt, & in propria Parochia Euchariſtiam ſumere teneantur. Si qui verò propriæ ſalutis immemores ſalutiferam animi medelam, ſuauiſſimamque refectionem reſpuentes huiuſmodi Præcepto parere neglexerint, eos in Dominica poſt octauam Paſchæ monebit, vt infra ſex dies peremptoriè confiteantur, & communicent, ſub pœna excommunicationis.

c. omnis vtriuſq ſexus de pęnit. & remiſſ. trid. ſeſſ 13. c. 19

7 Diſtribuatur pręfato Paſchatis tẽpore communicantibus aliquod impræſſum ſymbolum, ſeu teſſera, vulgò Bullettinum, nuncupata, qua communicantes à cæteris internoſci queant, Parocho fidem facturi. Qui peregrinos, & aduenas in Vrbe ad Cathedralem, in Diæceſi verò

Ecclesiam Matricem, seu Regentem remittat. Nulli verò intra Parœciæ suæ terminos constituto, vt in aliena prædicto tempore communicet, impertiat facultatem; pro dignitate tamen Ecclesiæ Cathedralis licitum erit, cuicũque Fideli pręfato Paschę tempore in Cathedrali communicare, quamuis sit alterius Paræciæ, bullettinum tamen accipiat proprio Parocho, si requisiuerit, ostendendum. Qui verò per absentiam, aut impedimentum aliud in propria Parochia non communicauerint, reuersi fidem afferant, manu, & sigillo Parochi loci munitam, qua testetur illos sacram Communionem sumpsisse, alioquin in propria Parochia communicare compellantur; quod ni fecerint, in eos tãquam Paschalis Communionis expertes ex Canonum praescripto procedemus. *ibid.*

✠✠ 8 Ne per ignorantiam quis excusetur, omnibus curam Animarum gerentibus districtè præcipimus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, vt elapsis sex diebus post Dominicam in Albis, curent diligentissimè Parochi intra mensem repetere omnia suæ Paræcię bullettina; eorum scilicet, qui eo anno in Paschate communicauerint, & cum libro status Animarum conferant. Si quis verò in aliqua familia

de

de adnotatis in libro bullettinum non reddiderit, quia ex incuria illud amiserit, si Parocho constet eum communicasse, vel ex certa sui recordatione, vel alicuius dignæ personæ attestatione, super quo ipsius Curati conscientiam oneramus ad vlteriora non procedatur. Sed si tantùm gratis asseruerit bullettinum deperdidisse, nulloque alio argumento id comprobauerit, commoneatur à Parocho, vt infra octo peremptoriè dies à Parocho proprio Eucharistiam sumat, sub pœna excommunicationis, qui terminus currat ab ipso monitionis die. Quod si neglexerit, post mensem, vt dictum est, tam istius, vel alterius, quàm aliorum, qui Paschale Conuiuium contempserint, nomina ad Nos transmittant, vt contra tales canonicis pœnis procedamus.

ibid.

c. & trid cit.

9 Quoties ad Aegrotantium domos sacra Hostia deferenda est, certis campanæ signis Populus conuocetur, eoque in Ecclesia coacto in paruula argentea pixide in hunc vsum parata, conopæo serico, & albo cooperta Sacramentum Eucharistiæ reponatur. Sacerdos ad superpelliceum, cappa breui vtatur, & desuper velum album oblongum, & mundissimum adaptetur.

c. peruenit de consecr. dist. 2.

rituale rom.

Præcat campanulam deferens, qua ad re-

ue-

uerentiam, venerationem, debitamque Diuinissimo Eucharistiæ Sacramento adorationem omnes excitentur. Huic subsequatur processio cum luminaribus accensis, eò in maiori numero, quem facultates Ecclesiæ patientur; posteà Clericus cum Corporali in bursa à collo pendenti; deindè Sacerdos vtraque manu deferens Viaticum sub vmbella, quam Sacerdotes gestent, vel Clerici, aut honesti viri; ipse verò cum astantibus alternatim psalmos voce submissa recitet.

10 Solus Parochus deferat Sacramentum, quod si legitimè fuerit impeditus, ei Sacerdoti id muneris committat, qui confessiones audiendi facultatem habeat, & non alij. Ne pluries autem pro ęgrotis eodem die graui sine causa egredi ab Ecclesia contingat, volumus, vt in qualibet Parochiali hora definiatur commoda, iuxta temporum varietatem, eiusque apponatur nota in Sacristia, ad quam omnibus Sanctissimum petentibus panem, se accommodantibus, vnico satisfiat egressu; si verò post horam statutam, meridiem, vel noctu, sacra Eucharistia deferenda sit, cum vrgens necessitas aliqua exposcit. Medicus de hoc fidem faciat. Cui autem, vel vulnere, vel repentino è casu mors timetur, Pa-

rochus illius neceſſitatis aliundè conſcius, abſque Medici atteſtatione ſubitò accurrat. In pyxide verò plures afferat ſacras Particulas, ne, dum ab Aegroto ad Eccleſiam regreditur, inane vaſculum Populus adoret.

11. In locis montuoſis, & longiori itinere extra Ciuitatem permittimus, Sacerdotem non manibus ſacram deferre Pyxidem cum Hoſtijs conſecratis, ſed in burſa, vbi corporale, & purificatorium reponi ſolet, ſuatur ex anteriori parte ſacculus rotundus, qui ſericis cordulis facilè claudi poſſit, & recludi, ſitque adeò càpax, vt in eo vaſculum commodè recipiatur; burſa verò cum corporali è collo ad pectus pendeat, ſitque in ea figura Calicis, & Hoſtiæ ſuperpoſitæ acus opere diligenter elaborata, vt facilè ad hoc tantum opus dignoſcatur inſeruire.

Cum verò ad locum aliquem longè à Ciuitate, vel Oppido remotum, eundum eſt, tot ferantur Particulæ in ſupradicta burſa, quot ſunt Infirmi communicandi, deindè verò Sacerdos ſine ſuperpelliceo, candelis, & tintinnabulo, reditum ad Eccleſiam faciat. Aduertat tamen, ne fragmenta remaneant, quod ſi ſuperfuiſſe comperiat, Infirmo ſumenda curabit, antequàm quicquam ablutionis deglutiat.

Apud

✠ 12 Apud Aegroti cubile parata sit mensa paruula, mundiori strata mappa, cum duobus cereis accensis, cruce, vel sacra ornata Imagine, & nonnihil etiam odoris, si commodè fieri possit, vt extracto de bursa corporali, dum reconciliatur Aegrotus, & absolutio datur, in ea mensa reponi possit vasculum Sanctissimi Viatici.

13 Hortamur autem, atque in visceribus Iesu Christi Domini obnixè rogamus omnes, vt vbi campanæ audierint sonitum, conueniant ad Ecclesiam, quò supremum Dominum, & Regum Regem, qua decet, comitentur religione; eos verò, quos obuiam fieri contigerit, monemus, atque obtestamur, vt relicta id temporis omni alia cura, huic pio operi, vt addecet, applicentur. Si quispiam equitans fiat obuiam, illicò descendat equo, & genuflexus reuerenter adoret. Mulieribus verò omninò interdicimus, etiam sub quouis deuotionis prætextu, à Solis occasu, vsque ad ortum inclusiuè, huic interesse functioni.

14 Illis in locis, in quibus sodalitas ad sacrosanctum Christi Corpus comitandum adhuc non est instituta, quamprimùm instituatur. Confratres verò huiusmodi, se Omnipotenti Deo gratissimum sciant opus agere, innumeras-

que indulgentias Summorum Pontificum largitate concessas lucrari, si ad Sacrosanctam Eucharistiam, seù Infirmis deferendam, seù alijs in processionibus adorandam summa veneratione comites sese adiunxerint. Indulgentias autem promulget Parochus ad Ecclesiam reuersus, quarum cœlestes opes, & diuitias ij tantùm, qui Sacramentum associant, consequuntur.

Aegroto ex nausea non sumenti, adhibita Pyxide, benedictio impertiri, aut etiam sacra Hostia ostendi potest, quæ tamen ob hanc solummodò causam non deferatur. Tangendi, aut exosculandi potestas fieri nullo pacto debet, nisi pedem sacræ Pyxidis.

Longa ægritudine laborantibus, etiam extra periculum mortis, sacrę Eucharistię frequentiùs sumendæ desiderio affectis debita præparatione expiatis, Curatus tàm salutare adiumentum ne deneget.

15 Ad indignos, & publicos peccatores non deferatur, nisi liquidò perspecta morum, & vitæ emendatione. Quod si aliquando publicæ meretrices in morbum dilapsæ Panem sacrum petierint, minimè exaudiantur, antequam conscientiæ suæ, famæ, & scandalo, ex Confessarij, seu Parochi iudicio, consuluerint. Ob-

se-

ſecramus autem vniuerſos, vt, cum huiuſce conditionis mulieres iacentes nouerint, illicò noſtros Vicarios adeant, vel Parochos, quorum ſolertia in hoc negotio maxima exigitur: ſi quidem omnem omninò debent diligentiam adhibere, vt has infelices ſuorum pœniteat facinorum, depulſis penitùs è domo, ex oculis, ex animo amaſijs; omnia denique efficiant, quæ Chriſti Ieſu ſanguine redemptas iuuent, nec ſine pijs adhortationibus, ac diuinæ horrore iuſtitiæ è ſtatu illo miſerrimo deterrendo funditùs eradicent. Qui verò ad illas hoc tempore iuſtis ſine cauſis, & rationabilibus acceſſerit, pœnis carceris, & pecuniarijs, arbitrio noſtro imponendis, erit obnoxius.

✠✠ 16 Quamuis hoc præcellens; & venerabile Sacramentum ſit aliquotiès Fidelium adorationi exponendum, hoc tamen non fiat, niſi de noſtra expreſſa facultate, ſecùs interdicto Eccleſias ſubijcimus. Cum autem de noſtra diſpenſatione, eo expoſito, quadraginta horarum ſupplicatio habebitur, oſtenſorium, in quo ſacra Hoſtia publicè proponenda eſt, ſphęram habeat in vertice argenteam, aut auream, in qua mundo cryſtallo includatur. Lunulæ item bipartitæ ex ſolido argento, vel deauratæ, ſcutulum pari-

tèr

ter deauratum ſupponatur, ne fragmenta pereant; ſacellum, & altare, in quo exponitur, decenter ornata pręfulgeant; non minus quàm ſex ceræ albæ ardeant candelæ, & lampades, ſi commodè fieri poteſt, ante altare ſuſpenſæ colluceant; nox vbi ſuperuenerit, ſacrum Chriſti Domini Corpus intra tabernaculum ſuum reponatur; quod ſi proprium non extet, alterum pręſtò ſit aliundè allatum, quod maius aliquod reuerentiæ ſignum præferat: clauis à Cappellano ſeruetur.

Cum ad publicos ſupplicationis honores exponendum eſt Sacramentum, tùm primo die ſub initium; cùm etiam ſub finem in ſupplicationibus eiuſdem, Proceſſio intra Eccleſiam, nonniſi ſtatis orationibus, cereiſque de more accenſis facienda eſt; quoties verò, vel exponitur, vel reponitur, iuxta Cæremoniale Romanum thus adhibeatur.

17 Mandamus item iuſtas ob cauſas, quæ noſtrum animum haud temerè mouent, vt in poſterùm nullis in Oratorijs, Capellis, & Confraternitatibus Sacramentum miniſtretur Euchariſtiæ, niſi de noſtra licentia ſcripto obtinenda. Sacerdotes, qui à quouis alio Euchariſtiam ſumpſerint, ſemper ſtola vtantur.

Ad-

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Pyxis ad viaticum ferendum deputata, fit clauo argenteo, alioue modo ità obserata, vt si fortè ex aliquo accidenti è manibus excidat, Particulæ consecratæ in terram non spargantur. Insuper Hostia, quæ pro expositione in maiori pyxide asseruari præcipitur, posthac in argenteo deposito, intus deaurato reponatur. In quibus Ecclesijs non habetur huiusmodi depositum, infra tres menses construatur.

ad num. 5. Damnatis ad mortem, eodem die, quo morituri sunt, sacram Eucharistiam negare non debemus, quoties necessitas vrgeat, aliaue magna causa suadeat. Cum illa legibus humanis non ligetur, & ista sit solidum fundamentum æquitatis.

ad num. 8. Experientia compertum est, multos esse ex Fidelibus, qui licet à proprio Sacerdote, tempore Paschali quæsiti, & dulciter sint inuitati, tamen fastidientes Eucharisticum Cibum, ad illũ renuunt accedere. Vndè, ouium magis vitio, quàm Parochorum incuriæ huiusmodi inobedientiam tribuentes; decreuimus his quidem antiquam pœnam minorare, illis verò efficaciùs remedium adhibere. Omnibus igitur Parochis districtè præcipimus sub pœna

ex-

excommunicationis, à Nobis tamen ferenda, vt elapsa Dominica in Albis incipiant colligere bullettina, caueantque ne vltra mensem eorum collectionem protendant. Notentur deindè qui tale bullettinum non dederint, & prima Dominica immediatè occurrente post elapsum mensem prædictæ collectionis proprio nomine in Ecclesia publicentur simul, & intimentur, vt intra dies quindecim, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, afferant bullettinum communionis Paschalis. Transacto termino dierum quindecim, facultatem concedimus Parochis prædictis declarandi excommunicatos omnes, qui bullettinum afferre neglexerunt, prout Nos ex nunc pro tunc declaramus, adeòque declarationis cedulones affigant, Nosque certiores de transgressoribus faciant, vt opportunè prouideamus.

ad num. 12. Cum plura etiam in ipsis Ciuitatibus, & Oppidis lubrica sint, & viæ montuosæ, propter rationabile periculum labendi è manibus Sacramētum, fallente pede deferentis, iubemus, quod Pyxis pro viatico reponatur in bursa, quæ habeat quatuor funiculos sericos: ex his duabus os bursę stricto modo ligetur, reliquis duobus è collo suspensa pendeat ante pectus.

ad num. 16. Sicut multa laude digni sunt illi Ecclesiarum Administratores, qui cordis sui liberale obsequium multitudine cereorum accensorum præstant venerabili Sacramento Fidelium adorationi exposito; ità corrigenda est paucorum illiberalitas, qui ex paupertate Ecclesiæ excusationem sibi fingunt, & paucis luminibus paruitatem animi demonstrant. Cum deinceps opus fuerit tantùm Sacramentum exponere, non minus quàm octo ex cera alba candelæ perpetuò ardeant; secùs Ecclesiam ipsam interdicemus.

DE MISSAE SACRIFICIO
Cap. V.

VEterum cessante Sacrificiorum varietate, vnicum, & incruentum est in Lege Euangelica Sacrificium, in quo viuifica, & salutaris Hostia Christus Iesus semel in ara Crucis ad totius humani generis reconciliationem immolata; ad eius passionis memoriam, & vberrimos gratiarum riuos hauriendos in odorem suauitatis per Sacerdotum manus æterno Patri quotidie offertur. Vt autem singulari cultu, ac pietate à Dei Ministris propitiatoriè immoletur, & *trid. sess. 22. can. 1 & 2.*

à Populo religiosè venerari possit, hæc seruanda præcipimus.

✠ 1 Nullus nouus Sacerdos ad Missæ Sacrificium accedat, nisi diligenter fuerit circa cæremonias ritè peragendas examinatus à cæremoniarum Magistro nostræ Cathedralis Ecclesiæ, si in Vrbe sacris operaturus sit; si verò in reliqua Diœcesi, ab eo, quem noster Generalis Vicarius designauerit, eiusdemque testimonio scripto comprobato, fuerit celebrandi donatus facultate, sub pœna suspensionis à diuinis ipso facto incurrenda.

Neque etiam in primæ celebratione Missę, stando ante Altare, vel Ecclesiam circumeundo, oblationum exceptioni se exponat, aut importunas eleemosynarum exactiones, seù extorsiones, sumptuosa conuiuia, ludos, choreas, & omne inanium oblectamentorum genus, cæterosque omnes abusus, qui Populi temeritate, aut Sacerdotum auaritia irrepserunt, fieri patiatur.

trid. sess 22 decr. de obser. & euitã in cel. miss

c. duę sũt 18. q. 2

✠ 2 Nullus item alienæ Diœcesis peregrinus Præsbyter rem diuinam facere permittatur in Ecclesijs tàm Regularibus, quàm Secularibus nostræ Diœcesis, nisi priùs Ordinarij sui patentes, aut dimissoriales, quas vocant, litteras osten-

trid. sess 23. c. 16

de-

derit, atque à Generali nostro Vicario, vel Foraneis in Diæcesi celebrandi facultatem scripto exhibuerit. Omnes autem Ecclesiarum Rectores, vel Capellanos, qui Sacerdotes huiusmodi, sine patentium litterarum ostensione, ad celebrandum admiserit, singulis vicibus suspensionis ipso facto incurrendæ pœna implicatos volumus; notoriè verò criminosi, siuè peregrini sint, siuè diœcesani, à celebratione omninò arceantur. *id. sess. 22.*

3 Vt autem ea, qua decet, animi puritate, tantum Sacrificium celebretur, Sacerdos, vbi Sacristiam ingressus fuerit, in Oratorium se conferat, & genuflexus, in illius excellentiæ meditatione aliquantulum temporis impendat; quod si verò Sacristia non sit, non in cornu Altaris, sed ab eo seorsùm in parua mensa ad id paratas sacras vestes sternat, ibique etiam peracto Sacrificio reponat. Is vbi primùm indutus est sermones cum alijs miscere, deambulare per Sacristiam, & ab illa exire, nefas prorsùs existimet. Cum verò ad Altare eundum erit, demissis oculis, nec incessu citato, sed graui, & composito internam animi modestiam exhibeat, & reuerentiam tanto debitam Sacrificio. *decr. de obseru. vt sup. cõg. rit. 7. iul. 1612*

4 Quoniam verò in aliquibus nostræ Diœ-

cesis locis abusus adeò excreuit, vt Sacerdotes celebraturi exeant è Sacristia detecto, & nudo capite, quod maximè indecorum est; mandamus proindè, vt non nisi cum bireto, & capite cooperto per Ecclesiam incedant, si secùs fecerint, sex tarenos in pœnam exoluant.

can. hoc quoq. de consecr. dist. 1. Celebranti saltèm vnus Minister assistat; isque Clericus, si haberi potest, talari veste, & superpelliceo indutus.

Curet prætereà Minister, ne quis, siuè vir, siuè mulier illa sit, gradibus Altaris hæreat, aut propiòr accedat, humaniter tamen, ac benignè, si accesserit, remoueri significet.

Vbi verò Sacerdos ad Altare peruenerit, neminem licet expectare, nec alicuius gratia, missam inchoatam interrumpere, aut ab initio reassumere. Biretum, sudariolum, atque id genus alia ab Altari prorsùs amoueat.

cã. altaria de cõs. dist. 4. & cã. cõcedimus ib. Sacrificium in ara consecrata, quæ Altaris solo paululùm supereminens inserta esse debet, & coemento firmata, omninò fiat, sub pœna interdicti ipsius Altaris. Nemini liceat ab vno in aliud Altare petram ipsam transferre, sub eadem pœna.

cã. nocte de cõsc. dist. 1. ++ 5 Ante auroram, & post meridiem celebretur nullibi; in nocte Natalis Domini, non

an-

ante mediam noctis horam, aut Ecclesiæ foribus occlusis.

Ad hæc Sacerdos nullos alios ritus, aut cęremonias, vel orationes in missæ celebratione adhibeat, præter eas, quæ in Missali Romano Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ Octaui auctoritate nouissimè recognito præscribuntur. Extet in Sacristia tabella præscribens missam, quæ iuxtà dierum varietatem, celebranda est, secundùm Romanum Officij diuini ordinem, cui, quò ad fieri potest, conformetur. Subbireto, vel pileolo, etiam extrà Canonem, vel anulo non vtatur, vt sæpiùs à Sacra Rituum Congregatione sancitum est, sub pœna suspensionis à diuinis, ipso facto incurrenda. Reliqua omnia, & cæremonias sancitas ità aptè, & moderatè peragere debet, vt in omnibus pietatem, religionem, grauitatemque Populus concipiat. Candelæ non extinguantur, nisi Euangelij fine audito, quod post benedictionem legitur. Peractis omnibus, & absoluto Sacrificio, Sacerdos sese iterùm colligat, & pro tanti beneficij munere gratias Deo agat.

trid. sess 22. decr de obser & euit. i cel. miss id. ci. ibi neuè rit. alios & c cā. null. epis. c. de cōs. dis. 1 cōg. rit. 21. ian. 28. mar. 24. apr. 1626 ead. cōg 11. feb. 1623

6 Dùm in Ecclesia Missæ Sacrificium, siuè cum cantu, siuè absque cantu Episcopus facit, Sacerdos è Sacristia nullus prodeat rem diui-

nam

nam facturus, nisi fortè Episcopus aliqua de
c.1 altari de cõ. dist. 2. causa id fieri permiserit, atque in eo Altari, in quo Episcopus sacrum peregit, Sacerdos eo die, nisi facta ab eo facultate, nullus faciat.

Diebus dominicis, & festiuis in Parochialibus Ecclesijs, dùm celebratur Missa maior, nullus in Ecclesia sacrum faciat, nisi publicatis, post Euangelium, à Parocho denunciationibus matrimonialibus, & alijs, quæ publicari contigerit.

Missa maior iuxtà Missalis rubricas semper
miss. ro. 5 rub. ge. celebretur, videlicèt in duplicibus, & semiduplicibus post Tertiam; in simplicibus, & ferijs per annum, post Sextam; in Vigilijs, & Quatuor Temporibus, & in ferijs Aduentus, & Quadragesimæ, post Nonam. Missa Defunctorum, quandò est celebranda, post Primam; in alijs Ecclesijs, vbi Horæ non recitantur, ex Populi commoditate.

cõg. rit. 20. nou. 1628 Cappellani Monialium Missas celebrent conuenientes cum Officio ipsarum.

Dùm Missæ peraguntur solemnes in Matricibus, seù Parochialibus Ecclesijs, Moniales non conuocent Sacerdotes in illis occupatos, ne diuina impediantur, vbi adest Populi concursus, sed ante, vel post id præstent.

In

7 In priuatis Oratorijs neminem volumus celebrare, nisi à Sede Apostolica sit indultum, & à Nobis, vel à nostro Vicario Generali in Vrbe, in Diœcesi verò ex nostra commissione Oratoria huiusmodi, & designata fuerint, & visitata. Nec illis diebus solemnioribus celebretur, qui in litteris Apostolicis ex declaratione Sacræ Rituum Congregationis excipiuntur, videlicèt in die primo Paschatis, & Pentecostes, Natiuitatis D. N. Iesu Christi, Epiphaniæ, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Sanct. Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, necnon in festis solemnibus principalium Patronorum.

c. vnicu iq. & c. missarū de cōsec dist. tri. sess. 22 c. 1.

s. cōg. ri 17. nou. 1607

8 Fideles, cum Missæ intersunt, corporis habitum ad omnem modestiam compositum præseferant, otiosos, & inutiles collocutiones euitando, nec solùm corporis præsentia, verùm etiam religioso cordis affectu, tremendo missæ Sacrificio se interesse declarent, & eos insuper monemus, vt frequentèr suas ad Parochias saltèm Dominicis diebus, ac maioribus festis accedant, iuxtà Concilij Tridentini Decretum.

trid. sess. 22. decr de obser & euit. ī cel. miss.

9 Quoniam verò, ex eiusdem Concilij præscripto, Episcoporum curæ demandatur, ne Sacerdotes celebrare omittant; ideò pastorali solli-

sess. 23. c. 14.

ci-

sess. 23 c. 14. de reform. citudine eorum saluti prospicere cupiẽtes mandamus, vt qui nullas per annum celebrant missas, & more viuunt laicorum, sui officij prȩstantiam minoris æstimando, ter saltèm, aut quatèr per annum in solemnioribus festiuitatibus sacrum faciant; quarè prȩcipimus omnibus Vicarijs, vt de obseruatione mandati huius Nos certiores faciant, quatenùs contrà non obtemperantes digna animaduersione procedamus. Parochi verò singulis quibuscumque Dominicis, & festis diebus celebrent pro Ouibus sibi commissis.

c. dolẽt. de celeb miss.

cã. vesti mẽta de consecr. dist. 1 10 Curent prætereà Parochi omnes, cæterique Ecclesiarum Præfecti, vt singula, quæ ad Sacrificium spectant, omni nitore, mundiciaque refulgeant; Patenæ, & Calices saltèm quò ad cuppam, ex solido argento sint, intùs vndique affabrè inaurati; vestes, mappæ, lineæ, purificatoria, corporalia, planetæ, omni careant labe, nec in profanos vnquàm vsus conuertantur, sint non lacera, aut scissa, sed quæ diuini cultus dignitas exigit; paramenta, & vestes variæ diuersorum colorum pro solemnitatum, temporumqe ratione Ecclesiarum Rectores in promptù habeant.

cã. calix de cõse. vbi sup.

cã. alta. pallavt rub. miss rom.

Acolythi in Missis maioribus dalmaticis

non

non vtantur, & ad pacis osculum non adhibeatur patena.

In Oppidis, vbi tantùm Missa vna in diebus Dominicis, & festiuis celebranda est, ea dicatur hora, qua Populus omnis commodè conuenire possit. cā.necessest.& c.& hoc attēdēd: est.de cō sec.di.1

11 Si plures Sacerdotes in Ecclesia fuerint, Populi commodò consulant, interuallis quibusdam adiectis, prima dicatur primo diluculo, postrema, quò tardiùs licet, celebretur; quod si necessitas simul inire coegerit, distantiç, & vocis moderationis rationem habeant, ne alternatim dicendo sese perturbent. trid.sess 22.decr de obse. & cuit. in celeb

12 Ad tollendos quarumdam abusus Ecclesiarum, in quibus Musicos aliquandò, vel lasciua, & inhonesta carmina contrà Tridentini Decretum in sacris functionibus per summam impudentiam commiscere exaudiuimus, intimo proindè animi sensu compulsi, seuerè mandamus, ne quis in posterùm huiusmodi carmina, aut cantilenas quascumque italico, seù vulgari alio sermone, prætèr latinum, aùt etiam organa, vel alia musica instrumenta, vt in choræis laicorum canere, seù modulari præsumat. Si Nobis minùs audientes esse cognouerimus; Ecclesias interdicto Superiores, & Rectores Ec-

clesiarum carceri; Cantores, & Organistas duarum vnciarum pœnis subiacere decernimus.

13 Ne piæ testantium voluntates, quarum Nos ex Tridentino Executores constituimur, depereire videantur, eorumque Animæ tanti Sacrificij suffragijs defraudari, præsenti Constitutione mandamus, tàm in Vrbe, quàm in Diœcesi, vt Rector quilibet sua in Ecclesia breuitèr, ac dilucidè, tabellas beneficiorum omnium, atque legatorum conscriptas conficiat, eorum oneribus, Missarum numero, obligationis die, nec non Sacerdotum ad celebrandum obstrictorum nominibus expressis, eæque publicè in Sacristijs, vbi erunt celebrandæ Missæ, loco conspicuo propositæ, & affixæ detineantur; sic Beneficiales, quibus beneficij fructibus vesci contingit oneri Missarum quolibet se die facturos satis perspicient. Missæ verò non solùm in Ecclesijs, vbi fuerunt legatæ, celebrentur, sed etiam in ijsdem Altaribus, & diebus. Cuius tabellæ tenorē Magister Notarius speciali quodam in libro, vt in beneficij bullarum expeditione, onera, dies, & alja fideliter conscribat, & in Archiuio seruabit.

Trid. sess. 25. c. 4. de refor.

14 Vt autem præmissa celerrimè executioni demandētur, districtè præcipimus, vt omnes,

nes, & ſinguli, qui eccleſiaſtica beneficia quæcumque ſint, ac pia legata obtinent, quatuor infra menſes à die publicationis pręſentium Conſtitutionum, eorum Bullas in viſitatione non oſtenſas Vicario noſtro Generali exhibere teneantur, vt ex illis, & ex regeſtro, quod in Archiuio reperitur, dicta tabella confici poſſit, ac Teſtatorum diſpoſitiones exequi, ſub pœna priuationis fructuum beneficiorum anni vnius, & creſcente contumacia per annum in ſupradictis exhibēdis, ſub eorum beneficiorum priuatione.

✠✠ 15 Rectores, & Eccleſiarum Superiores in Sacriſtia habeant librum, in quo quotidiè ſe ſubſcribant Sacerdotes inibi ſacrum facientes, & in eo diſtinctis titulis in quolibet folio apponatur inſcriptio, videlicèt, ex deuotione, eleemoſyna, legatis, &c. Contrauenientes in viſitatione arbitrio noſtro punientur.

Statuimus itèm, vt pro ſingulis Miſſis celebrādis ſinguli tareni in eleemoſynam largiantur. Hortantes Sacerdotes eoſdem, ne, vota Populorum fruſtantes, in longum protrahant eorum eleemoſynis ſatisfacere, iuxtà Sacræ Congregationis ſtatuta, & declarationes. *cōgreg. concilij*

16 Demùm circà Miſſarum celebrationem mandamus, vt Decreta, quę à Sacra Emi- *21. iunij 1625*

ibid. nentissimorum Cardinalium Congregatione, emanarunt, omninò seruentur, sub pœnis tùm in ijsdem statutis, tùm alijs arbitrio nostro infligendis. Quapropter inter alia, vt beneficiorum oneribus piorumque legatorum fiat satis; tot missæ celebrandæ sunt, quot in fundatione, dotatione, vel institutione, fuerint institutæ, etiam si eleemosynæ sint exiguæ, vndè pro reductione numeri illarum Sedem Apostolicam
ibid. adire necesse est.

Additiones, & variationes.

ad num. 1. Mitiùs agere cum nouis Sacerdotibus putantes, pœnam suspensionis à diuinis, quæ ipso facto incurrebatur, modò ferenda esse statuimus.

ad num. 2. Ex nostra benignitate idem etiam de pœna in hoc numero combinata decernimus.

ad num. 5. In Natali Christi Domini, nemini licet immediatè post mediam noctem, tres Missas dicere, sed vna tantùm Missa cantata celebrari potest, etiam in Ecclesijs Regularium, neque in dicta Missa solemni dispertienda est Communio fidelibus, reliquæ duæ, & cæteræ Missæ, atque Communio, orto die celebrentur.

ad

ad num. 15. In discursu nostræ visitationis obseruauimus Fidelium vota, & Defunctorum voluntates circà Missas, sępè non adimpleri ex eo, quod plurimę Ecclesię non possint sustinere onera expensarum pro celebratione requisitarum, ad quas alioquin ex iustitia non tenentur. Quamobrem statuimus deinceps pro singula Missa eleemosynam vnius tareni cum quarta parte, quam partem tenentur Sacerdotes dare Ecclesiæ, in qua celebrent, ipsa tamèn petente onere paupertatis coacta, quod si non petat remanebit apud ipsos.

Nunquam permanere in eodem statu res, satis experientia ipsa compertum est; huic quoque defectui piæ dispositiones, & voluntates Fidelium subiacent, vti Nos experti sumus, Missarum perpetuarum fundationes considerantes. Quamobrem ne citò, neue adeò decrescant eleemosynæ, vt importabile sit, his correspondens onus Missarum pro parte nostra statuimus, quod eleemosina Missæ perpetuæ in futurum fundandæ, non sit minor, quàm duorum tarenorum, intelligendo semper, quod quarta pars tareni sit pro Ecclesia. Quod si contigerit ab aliquo fundari Missam perpetuam minori eleemosina, quàm duorum tarenorum, Testatoris dispo-

ſpoſitio intelligatur ſemper regulata iuxtà eleemoſynam à Nobis præſcriptam.

Inuigilent Eccleſiarum Rectores, vt ea deuotione, & decentia, diuina myſteria, qua par eſt tractentur. Quoties Sacerdotes inuenerint, aut indecorè ſacrum agere, aut minùs temporis, quàm quadrans cum dimidio impendere, certiorem faciant de illis Vicarium, qui etiam ex officio debet inquirere. Hoc vt faciliùs exequatur, prædicti Rectores grauent Sacriſtas, vt referant ſub pœna dimiſſionis. Vicarius autem prima vice, priuata monitione ſeriò corripiat delinquentem Sacerdotem; ſecunda vice priuet illum celebratione per octo dies; tertia deniquè, det Nobis notitiã, vt opportunè proſpiciamus.

DE SACRAMENTO *Pœnitentiæ.* Cap. VI.

Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de conf. & cã 8. de ss. pœnit. Sacr.

PEccatorum fluctibus æſtuantibus in hoc miſeriarum pelago profundiſſimo, ſecunda tabula poſt naufragium, Animarum languoribus curandis, & amiſſæ gratiæ reparandæ, ſalutare, poſt Baptiſma, medicamen Pœnitentiæ Sacramentum adhibetur, vt adoptatum ſalutis

por-

portum incolumes peruenire possimus, & occlusus cœlestis beatitudinis aditus, Dominica largitate recludatur. Quocircà Animarum saluti, vt demandata Nobis Episcopalis Prouincia exigit, prospicientes, hæc pro debita illius susceptione, rectaque administratione, vt in dies magis, magisque inualescat, proponimus, & sancimus.

1 Omnes vtriusque sexus Christifideles, qui doli capaces inter bonum, & malum discernere sciunt, inuiolabilitèr seruent Decretum felicis recordationis Innocentij Tertij, in generali Concilio editum, vt saltèm semèl in anno proprio Sacerdoti, vel alteri ab Ordinario approbato peccata sua confiteantur, sub pœnis ibi contentis, alijsque arbitrio nostro inferendis. Parochi verò Populos edoceant, ne Confessionem in postremos Quadragesimę dies differant, quasi verò coacti, ad huius præcepti obseruantiam accedere videantur, sed amentè sæpiùs in anno illam frequentare. Mulieres, cum ad confessionem accedunt, ità sese gerere debent, vt modestiam, religiosumque pudorem, à vanis pompis, & ornatus vestium fucis abhorrentem, in oculorum demissione, & gradus, compositione expressum præseferant.

c. omnis vtriusq. sex. de pęni. & remiss.

cã. fucare de cõsec. di. 5.

2 Cæterùm, vbi quis ægritudine efficitur, cõtinuò Medicos aduocet Animarum, vt postquàm fuerit Infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur. Quocircà reuocari in vsum volumus aliam Constitutionem eiusdem Innocentij eo item Concilio latam, qua Medicis ad ægrotos in lecto iacentes adductis, præcipitur, vt antequàm illorum suscipiant curam, eos planè moneant, vt idoneo Confessori peccata aperiant, infirmitas enim corporum sępè numero ex peccato, vt à causa malorum omnium, dimanat. Sin facere id nequeunt Infirmi, vltra triduum ad eos visitandos non accedant, iuxtà Decretum felicis recordationis Pij Papæ Quinti, quod inuiolabilitèr obseruari præcipimus sub propositis in Bulla pœnis, alijsque arbitratu nostro irrogandis. Vt autem prædicti Decreti ignorantiam prætendere nequeant, volumus in Ecclesijs eiusdem Decreti tenorem italico sermone publicari singulis tribus mensibus eo die Dominico, quo die attento Populi concursu, & multitudine, Parocho magis expedire visum fuerit, aliàs contra ipsum pœnis, arbitrio nostro inferendis, procedemus.

c. cũ infirmitas de pęnit & remis.

bull. Pij V. die 8 martij. 1646

✠ 3 Sacerdos nullus, siue Secularis, siue Re-

gularis, quamuis ſcientia, & morum integritate prædìtus vllas Chriſtifidelium Confeſſiones, etiam Secularium Sacerdotum audire, ſeu beneficium abſolutionis impendere, præterquàm in ipſo mortis articulo, præſumat, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, nec non inualiditatis abſolutionis, niſi priùs coràm Nobis ſe præſentet, vt à noſtris Examinatoribus examinatus, & approbatus facultatem audiendi Confeſſiones ſcripto, & ſigillo munitam accipiat. Regulares verò etiam ſuorum Superiorum litteras oſtendant. Nullus Sacerdos præſumat mulierum Confeſſiones excipere ante annum trigeſimumquintum, niſi à Nobis expreſsè concedatur.

trid. ſeſſ 14. c. 7 Clemen dudū de ſepul. & trid. ſeſſ 25. c. 15 de refer

Confeſſarij omnes tàm Regulares, quàm Seculares, à noſtris Examinatoribus approbati, antequàm Confeſſioni Fidelium ſe exponant, ſuas patentes litteras Vicario loci oſtendant, qui nomen Confeſſarij ſeriem facultatis, diem, & annum adnotet, quarum rerum notationem penès ſe retineat, eo conſilio, vt ſi Confeſſarij ſuarum limites facultatum exceſſerint, Nos factos de hac re certiores velit; alioquin Confeſſarij ipſi ſuſpenſionis ab ipſa Confeſſione pœnam ipſo facto incurrant.

✠✠ 4 Omnes, & singuli Sacerdotes à Nobis Fidelium Confessionibus audiendis expositi, non nisi in Ecclesijs, locisue sacris eas excipiant; mulierum verò in confessionalibus ad id muneris probè accommodatis, atque in patenti, apertoque loco sitis, per fenestellam ferrea munitam lamina, quæ crebris distincta foraminibus, inter eos interponi debet, & earum quidem, nec ante Solis ortum, nec post eius occasum; si secùs fecerint, suspensionis pœnam, ipso facto, à Confessione incurrant.

Si quæ domi propter infirmitatem erunt audiendæ, reseratis foribus, atque aperto cubiculi ostio, ità, vt ab ijs, qui domi sunt conspici possint omninò, audiantur, superpelliceo item, & stola, vel eorum altero sint induti; Sacerdotum verò Confessiones audiant, id quod etiam absque superpelliceo, & stola fieri poterit.

c. omnis de pœni. trid. sess. 24. c. 5. & 8.

Tenentur ijdem Confessarij non solùm conscientiam Pœnitentis diligenti examine discutere, & peccatorum circumstantias, præsertim quæ mutant speciem, solerter indagare, eumque de famę, vel pecunię debita satisfactione exhibenda commonere; verùm salutaribus etiam remedijs ad futuras peccatorum occasiones remouendas præmunire, secùs intelligant se

non

non satis muneri facturos suo.

5 Nullus ex ijsdem Confessarijs in actu Confessionis, siuè immediatè antè, siuè post, directè, vel indirectè, expresse, vel tacitè, pecuniā, aut lucrum aliud temporale petat, aut exigat; atque hoc siuè sit sob Pœnitentiā pro peccatis proferendam, siuè pro celebratione Missarum, siuè pro alio quocumque titulo, aut quouis quæsito colore; ne quis, iuxtà Apostolum, Nos vituperet, in hac plenitudine gratiæ, quæ ministratur à Nobis. Qui verò id sceleris committere præsumpserit, sit ipso facto ab audiendis Confessionibus suspensus, alijsque implicetur pœnis à sacris Canonibus institutis. *ibid. c. 5 de satisf* *2. cor. 8 20* *dist. 3 de pœn. per totum.*

In omnibus Pœnitentijs, iniungendis Sacrosancti Tridentini Concilij dispositionibus Confessores obsequendo, vt spiritus, & prudentia magistra illos docuerit pro criminum, & confitentium qualitate conuenientes, salutaresque Pœnitentias imponant, ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs, quàm par est cum eis agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur, *ibid.*

6 Hominum pauperrimorum Confessiones tum Seculares, tum Regulares Confessarij

excipere ne recusent, accersiti, sed libentèr accurrant, & tempestiuè Parochos moneant, vt eorum necessitatibus ratione aliqua subueniant. Parochorum item opus illud est inuigilare, an quis suarum paręciarum incola valetudine affli- ctetur aduersa, cui præstò sint, quæ ad illius spiritualem salutem pertinent sedulò tractando, Confessionis remedium primò applicare studeant.

Seculares Confessarij quotannis à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè in Vrbe partim ad Cathedralem Ecclesiam conueniant, partim ad Parochialem Sancti Nicolai, in Diœcesi verò in maiori, vel Regenti, atque in Ecclesijs alijs Parochialibus, si quæ sunt, Fidelium Confessiones audituri, ne fortè Confessariorum copia deficiente Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sumptione aliqui priuentur. Quod si absque rationabili causa, quam nostris Vicarijs notam esse volumus, parere neglexerint, pœnis ex nostro arbitrio sint obnoxij.

id.sess. 14.cā.9 & ca.7 c.si Epis de pœnit & remis in6.Cle

7 Cum verò ex Concilij Tridentini Decreto, & immemorabili Ecclesiæ consuetudine soleat ab Episcopis nonnullorum grauiorum criminum absolutio reseruari, ne facilitas absolu-

lutionis occasionem pariat peccandi: propterea *mēt. du-*
sequentium casuum Nobis absolutionem reti- *dū § sta*
nemus, omnibus Confessarijs, tàm secularibus, *tuim' de*
quàm regularibus ab eis absoluere, prȩterquàm *sepult.*
in ipso mortis articulo, sub pȩna excommuni-
cationis latȩ sententiȩ interdicentes, nisi speciali
nostra facultate, vel priuilegio aliquo, id eis per-
mittatur, sed ad Nos remittant, aut Pœniten-
tis nomine facultatem, si velint, exposcant.

CASVS RESERVATI

1 HOmicidæ voluntarij, nec non man-
dantes, consulentes, fauentes, auxili-
um dantes.

2 Sodomia viri cum viro, vel cum fœmina,
etiam coniuge.

3 Congressus Fidelis cum Infideli, & bestia-
rum abusus.

4 Incestus in primo, & secundo gradu ex
parte viri.

5 Litterarum, aut sigilli Episcopalis, & eius
Curiæ falsarij, quique litteras, & scripturas
Archiuij, vel furto arripiunt, vel quouis
modo mutilant, aut deturpant, ita, vt inte-
grè legi nequeant.

Præ-

Prædictos casus vnà cum casibus in Bulla Cœnæ Domini noscant vniuersi Confessarij, ne quid per incuriam sibi facultatis assumant, concessæ sibi iurisdictionis terminos transiliendo. Superiores verò, aut Rectores quarumcumque Ecclesiarum prædictos casus in tabella descriptos apto loco in Sacristia, & in Confessionalibus ex parte Confessarij vnà cum Summario Bullæ in Cœna Domini, omnibus exponant.

Cum à reseruatis potestas absoluendi datur, siuè ex Episcopi facultate, siuè ex priuilegio, in irregularitatibus, ne dispensetur, nisi id sibi expresse concessum fuerit. Contrà sollicitantes in memoriam reducimus omnia, quæ in Bulla felic. record. Gregorij Papæ XV. statuta fuere; nec non contrà prædictos alijs pœnis arbitratu nostro procedemus.

bul. Gregor. die 30. aug. 1622

Additiones, & variationes.

ad num. 3. Ob iustas causas nostrum animum mouentes, extendimus pœnas huius numeri, etiam ad casum, in quo fit de venialibus confessio.

ad num. 4. Cum variæ considerari possint circumstantiæ, quæ, ne ipso facto incurratur talis pœna, suadeant: scrupulorum ambages eui-

ta-

tare cupientes, statuimus, quod deinceps combinata suspensionis pœna sit tantùm ferenda.

DE INDVLGENTIIS
Cap. VII.

Post adeptam per Sacramentum Pœnitentiæ culparum omnium condonationem, sublatumque æternæ pœnæ reatum, remanet nihilominùs temporalis, vel in hac vita corporis afflictationibus, pijsque exercitijs, vel in altera iustissimis Purgatorij flammis pœna luenda; quæ modò vijs alijs, modò indulgentiarum assecutione in totum, vel in partem remittitur. *Trid. sess. decr. de indulg.*

1 Parochorum proindè, aliorumque quorum interest, munus erit accuratè Populum de Indulgentijs instruere, quod in Ecclesia, à Christo Domino potestate sibi facta inuenitur hic thesaurus superabundantium Christi Iesu satisfactionum, necnon meritorum Dei Parentis Virginis, & Sanctorum in diuina acceptatione conseruatus, cuius thesauri diuitias Summi Pontifices non secùs, ac fideles dispensatores ex iustis, pijsque causis summa benignitate recludunt.

Consequuntur autem Indulgentias post

cul-

culpæ remiſſionem Fideles ritè diſpoſiti. Quapropter ad veram pœnitentiam, peccatorum confeſſionem, orationes, eleemoſynas, aliaque pietatis opera implenda, quæ pro ipſarum conſecutione iniunguntur, Parochi maximoperè hortentur.

2 Ad tollendos verò abuſus, qui Indulgentiarum occaſione frequenter occurrunt, nulli ex Eccleſiarum quarumuis, etiam exemptarum Rectoribus, vel Regularibus, vel Societatum Laicorum Confratribus cuiuſuis priuilegij prætextu, vel diuini verbi præconibus, alijſque quibuſcumque perſonis Indulgentias quouis modo cōceſſas, etiam ſuis in Eccleſijs liceat promulgare; neque vllam Indulgentiarum tabellam, ſiuè cedulam in foribus Eccleſiarum exponere, aut publicis in locis affigere, niſi priùs, earum Bullis diligentèr inſpectis, à Nobis recognitæ, & approbatæ fuerint, vt Populo deinde opportunè publicentur. Quę vero, vel perpetuò, vel ad tempus conceſſæ fuerint, ſingulis annis Nobis exhiberi debent, tùm exhibitionem noſtris locorum Vicarijs præſentare.

3 Eas promulgandi habita poteſtate, vt omnis praui quæſtus occaſio prorſùs abigatur, litteræ patentes, neque alia inſcriptio, quæ In-

dul-

dulgẽtiam indicet vllatenùs ad arcam, ſeù capſellam pro colligendis eleemoſynis appendantur, ſed eædem litteræ in altari ponantur, vbi pro Indulgẽtiarum conſecutione oratio eſt conſtituta, vt Populus non ad quæſtum, ſed ad peccatorum ſatisfactionem, & pietatis excitationem Indulgentias eſſe conceſſas, intelligat, ex quo omni vel mentis, vel animi religione, atque etiam chriſtianæ charitatis operibus ad ſalutares earum effectus conſequendos ſummoperè accendatur.

Additiones, & variationes.

Super ſeminare bono ſemini zizaniam, Inimicus conſueuit: id maximè timemus Iubileorum tempore, cum promiſcuè mares, mulierſque confluunt ad Eccleſiam viſitationis cauſam. Propterea mandamus, vt Eccleſiæ viſitandæ diſtincta, diuerſæque deputentur fœminis ab illis Eccleſijs, quæ maribus aſſignantur.

DE SACRAMENTO
Extremæ Vnctionis.
Cap. VIII.

HVmanæ ſalutis auiditate pijſſimus Redemptor exardeſcens, ſicuti diuina in

alijs Sacramentis adiumenta Fidelibus suis, dùm viuerent, præparauit, ità extremæ Vnctionis Sacramento eosdem in vltimo vitæ discrimine constitutos communiuit.

1 Parochi, quorum est cura, sępiùs opportuno tempore maximos huius Sacramenti fructus, & vtilitates Populis explanare non desinant, quomodo per ipsum ægroti roborantur in dubia mortis trepidatione, armantur contrà Satanæ fraudulentas insidias, peccatorum absterguntur reliquiæ, diuinę recipiunt gratię augmentum, magnam de Dei misericordia fiduciam in extremo illo concipientes sublcuantur, morbi incommoda, & labores ferunt leuiùs, & plerumque corporis sanitatem, si animæ expedierit, consequuntur. Tandèm hoc salutifero Oleo inuncti, atque Ecclesiæ muniti precibus non imbelles contrà spirituales nequitiæ luctatores procedent. Curent etiàm hoc Sacramentum ægroto, dùm integris vtitur sensibus, ministrare, nec in aliud tempus differant, in quo infirmus morbi grauitate oppressus, omni careat sensu, sed dùm mentis est compos, & sensuum præditus vigore, vngatur. Quoniam verò in Diœcesi nostra compertum est, nonnullos nimiùm carne indulgentes, & sanguini ægro-

to, noctu, & sensibus iàm distituto, extremam adhibuisse Vnctionem, vsque dum consanguinei conuocati fuerint, vel simile quid actum, temerè putando infirmus vehementi fortassis timore correptus ex hac vita fore vt discederet, si opportunè Parochus aduocaretur, hortamur proinde omnes Christifideles, ad quos spectat, & eorum conscientiam oneramus, vt nullo habito respectu, tantum adiumentum suis caris non differant.

2 Parochus, cuius culpa infirmo, præsertim pauperi, absque sacra Vnctione è vita migrare contigerit, per mensem pœnam suspensionis incurrat, alijsque etiam pœnis subiaceat arbitratu nostro definiendis. Item verò, & ob id eleemosynam non exigat, sed accersitus, præsertim à pauperibus, statim accurrat, etiam Clero non conuocato, vel expectato, sub ijsdem pœnis. Vbi autem consanguinei, vel domestici infirmorum, Clerum conuenire velint, tunc solitam eleemosynam elargiri teneantur. Vbi verò ad ægrotum sacra Vnctione liniendum accesserit, nonnisi superpelliceo, & stola violacea indutus procedet, comitante Clerico, saltèm vno crucem præferente sine lumine.

3 Extremæ Vnctionis Sacramentum, si-

cuti miniſtrandum eſt adultis periculoſè ægrotantibus, ſeniò confectis etiam non ægrotis, in dies tamen morituris, ita pueris, qui rationis vſu carent, vel mulieribus, quæ in partu laborant, ijs quoque, qui ſeu ad bellum proficiſcētur, ſeu nauigationem, & peregrinationem ſuſcipiunt, ſeu denique ijs, qui mox vltimo ſupplicio ſunt afficiendi omninò denegandum eſt. At verò quibus accepto mortifero vulnere, mortis imminet periculum, ſiue ſuperuenienti febre correptis, omninò conferatur, licèt nec peccata confeſſione expiare, nec ſacram Euchariſtiam ſumere potuerint, modò tamen ſigna contritionis oſtenderint, vel piè ſaltèm vixerint.

Mutilato in membro aliquo, vt manu, pede, vel alio quolibet, Vnctio in propinquiori parte adhibeatur.

4 Si Infirmus in ipſa Vnctione moriatur, Præsbytero vltrà non progrediendum eſt; ſi periculum imminet, omiſſis precationibus, citò vngat; ſi dubium ſit an viuat, ſub conditione id faciat, ea vtens verborum forma: Si tu es viuus, per iſtam ſanctam Vnctionem, &c.

Si Sacerdos eſt vngendus, cæteræ partes in eo, vt in alijs vngatur, manus verò exteriùs tantùm, cum in ſuſceptione Sacerdotalis Ordinis

in-

interiùs vnctæ iam fuerint. Mulieribus, aut infirmis, qui commodè moueri nequeunt, nullatenùs renes vngantur.

5 Forma huius Sacramenti, quæ in solemni verborum precatione consistit, simul cum ipsa Vnctione proferatur, & qui vngit, verba enunciet. Non enim debet vnus vngere, alter verba proferre. Curet etiam Præsbyter, dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, iniungit, ne in altero tantùm, sed in vtroque vngendo totam formam absoluat. Caueat item, ne bis in vna, eademque infirmitate ægroto sacram conferat Vnctionem, nisi sit diuturna, mortisque periculum iterùm immineat.

6 Campana non pulsetur instar mortuorum, quando ad vngendum infirmum signum datur; vbi verò sit consuetudo pulsandi, diuerso modo pulsetur, vt Fideles pro agonizante ad Deum pias preces effundant.

Extremæ huius Vnctionis Sacramentum solus ipse Curatus, vel ad quem spectat, administret, nec alteri Sacerdoti committat, nisi aliter necessitas expostulet, tunc verò Sacerdoti ad confessiones approbato.

Cum Sacerdos ad deferendum Sacrum Oleum, accersitur, curent coniuncti, domestici,

vel

vel consanguinei iuxtà ægrotantis lectum parari mensam paruulam mantili candido stratam; vas item, in quo sit bombix, vel saltèm stupa, ad abstergendas partes inunctas, panis medullam ad Sacerdotis digitos purgandos, & aquam ad manus illius abluendas. Ceream itidèm candelam, quæ, cum inunctio fiet, accensa, lumen exhibeat vngenti; super hanc mensam, dum sacræ recitantur preces, reponatur olei vas, quod à laicis nullo pacto contrectandum est.

rituale rom. 7 Cum ægrotus agit animam, in illius commendatione studiosè inuigilet Parochus, pietate, qua decet maxima, statutas preces recitet, omnesque domesticos moneat, vt pro moriente Deum piè exorent, nec ad finem vsque vitæ illum deserat, cum in eo temporis momento de æternæ salutis summa agatur.

Si ægrotus sensibus non sit destitutus, Sacerdos cum paucis, suauibus, & ex ardenti pij cordis affectu manantibus verbis excitet ad desiderium vitæ æternæ, & ad spem de diuina misericordia concipiendam.

c. presb. qui dige. de cōse. dist. 4 8 Parochi tandèm hoc infirmorum Oleum singulis annis nouum à Chathedrali acceptum, & eo modo delatum, quo supra de Sacramentis in genere dictum est, (vetere in Sacrario com-

combusto) in vase argenteo, vel stanneo cum bombacio intus, & velo serico violaceo de foris contecto, à cæteris oleis seiunctum conseruabunt propè altare maius, in cuius proximi parietis muro effosso extruatur fenestella, cuius humiditatem, & vliginem, si qua esse posset, tabulæ circum affixæ dimouebunt; has verò tabulas panno serico coloris eiusdem ad ornamentum, & decus, vestiant, ostiolumque muniatur seris, & claui; in fronte litteris maiusculis, (OLEVM INFIRMORVM) sculpatur, vèl inscribatur.

DE SACRAMENTO Ordinis Cap. IX.

ORdinis Sacramentum à Christo Domino in Cœna nouissima institutum, totius Ecclesiæ vtilitati, & gubernationi destinatum, eos dumtaxat viros tanto ministerio præficiendos exigit, quibus qualitates, & conditiones à Sacris Canonibus præscriptæ, & ab Oecumenico Tridentino Concilio accuratè complexæ, non desunt; his enim Dei Ecclesia Ministris vtitur, & honestatur.

côc. flor. decr. de sacr. ord & trid. ses. 7. câ 1. de sacram. in gene. & sess. 23. can. 3.

No-

✠✠ 1 Notum igitur primò sit Parochis, vt cum per publicum edictum de generali Ordinatione certiores facti fuerint, die Dominico Ordinationi proximo supplicationes, & litanias habeant ad Deum, ne tantum ministerium conferatur, nisi ijs, qui doctrina, vitæque sanctitate cæteris præcellentes, vtilem in Ecclesia Dei sint operam præstituri. Id ipsum hortamur omnes Religionum Superiores, vt in eorum Cœnobijs seruent.

trid. sess. 23. c. 10 de refor

Omnibus deinde sacris initiandis Ordinibus innotescant Constitutiones Pij II. & Gregorij XIII. Contra eos, qui absque Canonica dispensatione ad eos ante legitimam ætatem, vel extra statuta tempora, vel absque Dimissorijs proprij Episcopi litteris, fuerint promoti, nempè ab eorum Ordinum executione, ad quos fuerint assumpti, eos esse ipso iure suspensos. Quod si susceptum Ordinem exercuerint, irregularitatem, cuius dispensatio solo Romano Pontifici reseruatur, contrahent, & beneficijs, si quæ habent, priuabuntur.

bul. Pij 2 17. non. 1461.

bul. Gregor. 13. 21 feb. 1572.

✠✠ 2 Prima Tonsura decorandi non proponantur nisi ij, quorum opera, & functione Ecclesiæ necesse habuerint. Et quia ad eam nonnulli se ingerunt, non vt in sortem Domini as-

ſumantur, ſed vt Eccleſiaſticis priuilegijs ſeculare iudicium effugiant, ſuiſque concupiſcentijs ſecuriùs deſeruiant, vel in aliorum perniciem Eccleſiaſtica abutantur immunitate; propterea Sacri Tridentini Concilij Decreto commoniti, praeſenti Conſtitutione ſancimus, vt nullus in poſterum primam Tonſuram ſuſcipiat, de quo noſtrorùm Vicariorum teſtimonio probabilis coniectura non ſit, eum non ſeculari iudicij diffugiendi cauſa; vel vt vectigalia lucrando defraudet ad illam aſpirare, ſed vt Deo fidelem famulatum magis deuinctus praeſtare poſſit. Ad hoc Baptiſmi afferant fidem, per quam Nobis conſtet eos legitimo matrimonio eſſe procreatos, aut diſpenſationis ſuper defectu natalium priuilegio donatos, Fidei rudiméta optimè calleant. De confirmatione doceant; legere, & ſcribere ſciant; vitae, & morum praefulgeant honeſtate. Ad haec iurato teſtimonio noſtrorum Vicariorum, nec non Curiae temporalis Ciuitatum, & locorum, vbi degunt, eos nulli obnoxios crimini, vel ſuſpectos, aut diffamatos, neque grauis vnquam peccati nomine in iudicium vocatos, ſed in Eccleſiaſtica diſciplina progreſſuros, comprobari volumus.

ſeſſ. 23 c. & 2

id. c. 4

Minores ſeptennio ad Tonſurae ſuſceptio-

nem non accedant, neque vlli eadem non insignito liceat Clericalem habitum induere sine nostra facultate scripto tradita, sub pœna amissionis habitus, alijsque arbitrio nostro statuendis.

✠✠ 3 Ad minores Ordines promouendi vltra Tonsuræ, vel alterius antecedentis Ordinis authenticas litteras, Ecclesijs, quibus fuerunt adscripti, se inseruisse, Congregationes, Confessiones, Comnuniones, & Doctrinam Christianam statutis diebus frequentasse, Proprij Parochi fide iuramento vallata comprobent. Similem Ludimagistri fidem afferant, qua eorum cum scholæ frequentia, tum latini peritia sermonis innotescat. Vicarius item loci suam scripto, medioque iuramento det conscientiam de illorum vitæ, ac morum qualitate. Quæ omnia constare debet fuisse patrata saltem per sex integros menses a die ipsorum Ordinationis; & tandem ex dictis testificationibus spes vera concipiatur, quòd maioribus Ordinibus digni inueniantur.

id. sess. 23 de refor. c. 5. & 6

Insuper omnibus, & singulis notum volumus minoribus Ordinibus cum falsis Dimissorijs ab alieno Episcopo initiatos, etiam si qualitatibus à Tridentino requisitis minimè careat,

bul. Vrb. viij. quæ inc. secretis æstern. prouid. dat. 11 dec 1622

fori priuilegio nullatenùs gaudere, ſed ſeculari iuriſdictioni, vt antea, plenè in omnibus eſſe ſubiectos, quemadmodum Sanctiſſimi D. N. Vrbani Papæ Octaui Conſtitutione decretum eſt.

✠ 4 Ad maiores Ordines promouendi, præter ea, quæ diximus, teſtimonium afferant de vita, moribus, ætate, & natalibus, per noſtros Vicarios, & Parochos, reſpectiuè ſubſcribendum, quo etiam probent, factis publicationibus in Eccleſijs per tres dies feſtos continuos, nullum impedimentum detectum fuiſſe, quò minùs ad alios Ordines progredi queant. Elapſis verò duobus menſibus à die vltimæ publicationis, earum nulla habeatur ratio, ſed denuò repetantur. Cantui Eccleſiaſtico ex Magiſtri fide operam dediſſe demonſtrent; denique præuio examine noſtrorum Examinatorum; eorum profectus, ac ſcientiæ fiat experimentum. *trid. ſeſſ. 13 de ref. or. c. 5.*

Et cum æquè turpè, ac indecorum ſit, vt corruptis moribus homines in Eccleſia miniſtrent, conſcientiam illorum oneramus, qui in diſtricto Dei iudicio rationem reddituri erunt, ſi quempiam ad ſacros Ordines cognouerint inhiantem, cuius vita, mores, & natales ſacro muneri non ſuffragentur, ſi publicationibus fa-

ctis, illius impedimenta Nobis, vel Vicarijs nostris, vel Animarum Curatoribus secretò saltem minimè detexerint.

trid. sess 14. 22. 23. &c. ibid. § Impedimenta verò, quibus prohibetur quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, ea ferè sunt: si Bigamus est, si corpore vitiatus, aut valde deformis, si homicidium quoquomodo commisit, vel eidem, aut membrorum mutilationi præstitit operam, si ante ætatem legitimam maiori aliquo Ordine initiatus fuit, aut extra tempora, aut per saltum; si sufficiens beneficium, aut patrimonium non habet, si excommunicationis, suspensionis, aut interdicti pœna irretitur, si illegitimè natus, si neophitus, si ære alieno grauatus, si amens, etiam si dilucida interdum habeat interualla, si energumenus, impudicus, periurus, vsurarius manifestus, seruus, rudis, & ignarus, vel non confirmatus est; & similia.

id. se. 23 de ref. c. 7. ibid. Initiandi omnes, si in Vrbe sint, ante vnum mensem, quam Ordinationis dies adueniat, in reliqua verò Diœcesi quindecim ante diebus, Ordinationi proximis Nobis, vel Vicario nostro se præsentent, vt ea præstari possint, quę ad ipsorũ promotionẽ necessaria esse videbũtur, qui secus fecerit, in ea Ordinatione nõ admittatur.

Sub-

✠✠ 6 Subdiaconi, vltra præmissa ad honestè viuendum sumptus sibi suppetere ostendant, qui annuos redditus, ex Ecclesiastico beneficio, pensione, vel patrimonio, saltem vnciarum duodecim, re ipsa constituat. Cæterùm, cum huiusmodi patrimonium, vel beneficium oporteat non esse fictum, aut simulatum, vel litigiosum, sed verum, & pacificè possessum, ne subreptitiè hac in parte Ordines suscipiant, volumus, vt illud nullatenus sacros Ordines suscepturis suffragetur, nisi priùs eius veritas, & pacifica possessio coram nostro Generali Vicario duorum fide dignorum, & omni exceptione maiorum testimonio iuridicè recepto comprobetur. Qui quidem testes partes singulas patrimonij, bonorumque eius, qui initiandus est, distinctè, ac præcisè exprimant, & fructus, ac redditus annuos, deductis impensis, ex parte coloni, quos Ordinandi possident, sine contradictione, obligatione aliqua, vel hipotheca, quæ omnia iuramento confirment. Et nihilominùs in publicationibus faciendis supradictum patrimonium, eiusque singulę partes, ac redditum summa, vt supra singillatim, & distinctè designentur; & quod solemni iuramento se obstrinxerint Ordinandi patrimonium se nullo pacto alienaturos, id. sess. 21. c. 2. ibid.

seu

ſeu beneficiũ reſignaturos. Quiſquis beneficium reſignaturus, vel patrimonium alienaturus, ad cuius titulum promotus eſt, expreſſam de hoc faciat mentionem, vt noſtra præcedente licentia, reſignandi, vel alienandi reſpectiuè facultatem obtineat, alioquin nulla ſit reſigatio, quin vbi alienationem faciet, pęnis antiquorum Canonum ſubiaceat, qui verò in aliquo, ex hoc numero contentis deliquerit, excommunicationem ipſo facto, & pœnas alias etiam corporales arbitrio noſtro incurrat.

d.c. nemine. cã ſãctorũ. diſt. 70. c. cũ ſecũdũ ap. & c. tuis.

Ad hæc non niſi Horis canonicis nocturnis, & diurnis ſcitè ordinandis inſtitutus adueniet; nam ad illas poſt ſuſceptum Subdiaconatus Ordinem ſtatim aduincitur.

c. preſb. de celeb miſ. c. dolẽt. eod. tit.

++ 7 Si quis autem ex Ordinandis litteras commendatitias afferet, perindè quaſi ex illis facilem aditum ad Ordinem ſuſcipiendum ſibi putet aperiri, interclufum tamen ſuo damno inueniet; eaque vice ab Ordinum ſuſceptione repelletur.

cã. ordinationes. 1. q. 1.

Et ne amicitiæ cauſa, aut quouis alio humano reſpectu Vicarij, ſeu Eccleſiarũ Rectores, alijue, ad quos de ſupradictis Nobis fidem facere ſpectat, falſum aliquid in prædictis atteſtationibus moliantur, vel admiſceant, præter mul-

ibid.

ctas.

ctas à Sacris Canonibus constitutas, vnciarum decem pœnam luent.

Examinatores sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ne quid muneris accipiant ab Ordinandis, neque ante, neque post Ordinationem.

Religiosi suorum Superiorum litteras afferant, quę postremi Ordinis susceptionem etiam complectantur. Clem. 8 25. mar 1596

Additiones, & variationes.

ad num. 1. Perurgens necessitas aliquando Nos cogit, ne generalem Ordinationem instituamus; attamen quia priuatæ Ordinationis laborem statutis temporibus non fugimus, volumus quod etiam si nullum edictum, aut nuncium mittamus, adhuc non intermittantur preces præscripta.

ad num. 2. Sæpè Parentes offerunt Nobis Pueros adeò teneræ ætatis, vt videantur magis ab illis, quàm à diuina aspirante gratia, vocati in sortem Domini, maximum profectò malum, ex aliena voluntate potiùs, quàm libera electione, clericali militiæ Pueros adscribere. Quapropter ad ætatem proportionatam huiusmodi electionem trāsferentes, decernimus; quod nullus ante duodecimum annum completum ad

Ton-

Tonsuræ susceptionem Nobis proponatur: nisi aliter Nobis videatur ob necessitatem loci.

ad num. 3. In Ordinibus susceptis ministrare nescimus, quo prętextu erubescunt multi, abominanda quidem erubescentia, qui ad alios Ordines ascendere velint, fidem de exercitio Ordinis suscepti afferant, quam Parochus facere debet cum iuramento tantummodò illis, qui per se Ordinem exercuerint.

ad num. 4. Ad sacros Ordines promouendi, exercitijs spiritualibus per octo dies vacare debent; testimoniales litteras ad Nos deferant, aliàs non promoueantur;

Quod oculus in corpore, id in anima efficit scientia, qua maximè indigent Clerici, præsertìm Sacerdotes, qui ducatum præstant Populis: tanta necessitas vrget, vt apertè statuamus gradum scientiæ ad sacros Ordines, à Nobis requisitum. In illis ergo, qui ad Subdiaconatus, vel Diaconatus Ordines sunt promouendi; vltra linguam latinam, scientiam moralem requirimus; ad Sacerdotium verò ascensuri; ita debent esse instructi, vt Sacramentum pœnitentiæ valeant exercere. Manus citò nemini imposueris Timotheo suo, & Nobis præcepit Apostolus: huic præcepto vt satisfaceremus, methodum

pro-

procedendi, qua aptitudo, vel inæptitudo Ordinandorum cognosci valeant, distinctis §§. præscribimus.

§ Primùm omnium, Ordinandi ante duos menses præsententur Vicario loci, qui fidem faciat de præsentatione, tradatque præsentatis. Inquirat deinde per se, tam de requisitis, quàm de impedimentis in toto hoc capitulo dispositis.

§ Facta hac inquisitione, Vicarius prædictus vocet in suos Consultores, Archipræsbyterum cum duobus Parochis, in quorum defectu subroget, vnum, vel duos ex antiquioribus Confessoribus: at si fortè ex Parochis, & Confessoribus aliquem iudicauerit suspectum propter consanguineitatem, affinitatem, aut inimicitiam, illum non vocabit, sed gradatim alium assumat.

§ Conuocatis tribus Consultoribus, legat illis hoc Capitulum cum additionibus, & variationibus, vt prę oculis habeant, quibus de rebus consultationem instituant, vltra verò ea, quæ in his continentur, seriò discutiant, si patrimonium præsertìm promouendorum ad sacros Ordines sit fictitium, aut non?

§ Peracta demùm discussione, quo ad requisita, & defectus; quilibet eorum votum

ſuum ſcribat proprio firmatum nomine, ſigillatumque Vicario tradat, qui vna cum ſuo, ad Nos quamprimùm mittere curabit.

ad num. 6. Quotquot Ordines ſacros ſuſceperint ad titulum patrimonij fiduciarij, nimirùm cum promiſſione reſtituendi bona poſt Ordinationem, vel non petendi quidquam, ſeu ad titulum patrimonij ficti; ſcilicet quando quis falſis ſcripturis, vel teſtibus, ſe patrimonium, vel beneficium ſufficiens habere finxit, cum ita non ſit, ſciat ipſo facto ſuſpenſionem incurrere.

ad num. 7. Ne inopinata accidat repulſio, moneant Vicarij locorum Ordinandos, vt abſtineant omninò afferre literas commendatitias.

DE SACRAMENTO Matrimonij. Cap. X.

Gen. 2. trid. de ſacr. 3 gene. cã. 1 ſeſſ. 7. ſeſſ. 24. cã. 1. c. ad abol. de hæret.

QVoniam ab ipſa Mundi origine ad humani generis propagationem, & remedium concupiſcentiæ, à Summo rerum Opifice Matrimonium ſanctiſſimè directum, & à Chriſto Domino in nuptiarum Canæ Galileæ celebritate approbatum, quin etiam ad ſanctificantis gratiæ productionem, quam ſua nobis paſ-

passione promeruit, inter Sacramenta nouæ legis eleuatum agnoscimus, summa honestate, & sanctitate suscipi, & tractari debet.

1 Parochi proindè vniuersi moneant, & hortentur contrahentes, vt triduo saltem illius ante celebrationem, peccata sua vbi primum sint confessi, Sanctissimam sumant Eucharistiam, abususque omnes hoc Sacramentum dehonestantes penitùs diuellant. *id. sess. 24. c. 1. de refor. §. quod si quis.*

Vt autem Sacramentum hoc magnum à Parochis sanctè, & reuerenter disponatur, districtè præcipimus, & mandamus, vt omnia decreta in Tridētino tradita seruentur accuratissimè, vt latiùs in Rituali Romano continetur. *sess. 24. de refor. matr. c. 1* Omnia, & singula Matrimonij impedimenta calleant, tam ea, quæ dirimunt, quàm ea, quæ impediunt. Item ad quorum gradum naturalis se extendat cognatio, aut affinitas ex copula licita, illicitaue promanans, & inter quos legalis, aut spiritualis cognatio contrahatur, ritè dignoscant.

✠ 2 Et quia Matrimonium denunciationes antecedunt, antequam eas Curatus facere aggrediatur, vtriusque tam viri, quàm mulieris voluntatem exploret diligenter. Et si vterque, vel alter eorum absens fuerit, habeat fidem gra- *ibid.*

tis concedendam à Parocho loci, in quo Sponsi commorantur, de exploratione voluntatis, & consensu ad denunciationes faciendas. Quod si Matrimonium contracturi sint Filij familias, eos valde cohortetur, ne illud renitentibus, aut inconsultis parentibus ineant, sed paternæ obedientiæ, reuerentięque officio satisfaciant.

3 Videat insuper, & curet, quòd Sponsi Fidei rudimenta noscant. Eos item interroget, an aliquo sint impedimento obstricti, an alteri promiserint, an voto Castitatis, vel Religionis sint deuincti. Moneatque pœnam excommunicationis latæ sententiæ eos subire, qui scienter in gradu prohibito contraxerint, ex Clementina constitutione. Quòd si in eodem gradu scienter contrahere præsumpserint, spe dispensationis consequendæ omnino priuari, & separandos fore, idque in eis multò magis locum habere aduertat, qui non tãtum Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausi fuerint.

ibid.

clemẽt. vnic. de cõsang. & affin.

De ætate Coniugum ad contrahendum requisita peruestiget, & cognoscat, an annos quatuordecim Sponsus, Sponsa verò duodecim compleuerint. Cum Parochus de denunciationibus requiret Sponsos, aduertat, ne illorum consensum exploret, sed tantùm num velint de-

c. puber. de desp. impuberũ

nunciari publicè in Ecclesia.

4 His ergo diligenter inquisitis, & ritè cognitis, de Sponsorum consensu, & petitione, denunciationes fiant in Ecclesia Parochiali tribus diebus festiuis, qui tamen immediatè sibi inuicem non succedant, inter Missarum solemnia, quibus adesse Populus consueuit, & distinctè, ac intelligibili voce, vt præsentibus innotescant. Quòd si de nostra licentia, ex iusta causa aliquando intermitti euenerit, celebrato Matrimonio, omnino compleantur. Vbi verò maximum periculum mortis imminens, eas in totum, vel ex parte omitti coegerit, negotiumque ad Nos breuitate temporis deferri nequeat, ad celebrationem Matrimonij non nisi certiorato loci Vicario, & de eius licentia in scriptis habita procedatur. *ritua.rō ī sub de sacram. matrim ex cōcil cit.*

5 Quòd si contrahentes diuersæ fuerint Parochię, ad eamdem Ecclesiam non pertineāt, in vtraque Parochia denunciationes fiant; ad celebrationem verò Matrimonij non progrediatur, nisi certior factus fuerit Parochus à Præfecto alterius Ecclesiæ de trina facta denunciatione, fide, scripto, & sigillo munita, & quod nullum adfuerit impedimentum; huiusmodi verò scriptum omni diligentia seruetur. Si verò Pa-

rochus ille, cuius teſtimonium petitur, alienę ſit Diœceſis, illud etiam authentico Epiſcopi loci ſigillo ſit obſignatum, vel teſtibus comprobatum.

trid. ſeſſ 24. c. 7. Si autem contrahentes peregrinos, exteros, vagoſque, & ſibi incognitos eſſe compererit, teſtes de libertate contrahentium coram Vicario loci recepti ad Nos tranſmittantur.

6 Cum verò ex frequenti Sponſorum ad Sponſas acceſſione ſæpiſſimè occaſio copulæ non ſine graui Numinis Dei offenſa exoriatur, ideo prædictos monemus, vt quàm citius, iuxta *ibid. c. 1* ſacri Concilij Tridentini diſpoſitionem, denunciationibus completis, ad Matrimonij Sacramentum, ſolemniter coram proprio Parocho deuenire curent; diſtrictè præcipientes, quòd interim Matrimonio nondum perfecto, nullus in *cõg. Ep. 15. maij 1590* propria domo cum Sponſa cohabitare, nec cum illa ſe commiſcere præſumat, ſub pœna ducatorum decem, etiam arbitrio noſtro augenda, iuxta perſonarum qualitatem, & conditionem, pijs vſibus inde à Nobis applicanda.

trid. ſeſſ 24. c. 1 Denunciationibus expletis, nulloque detecto legitimo impedimento, ad celebrationem in facie Eccleſiæ deueniant Sponſi, haud tamen eo ipſo die, quo facta eſt vltima denunciatio, niſi

ob-

obtenta à Nobis, vel à nostro Generali Vicario facultate, vel nisi præfata denunciatio in eum diem cadat, qui dies Quadragesimæ, vel Aduentus initium proximè antecedit; neque extra Ecclesiam Parochialem, nisi de nostra facultate scripto concedenda.

7 Matrimonij impedimento aliquo deprę-hensо, nullus progressus à Parocho ad alias denunciationes, vel ad illius celebrationem fiat; nisi prius de huiusmodi impedimento, etiam si falsum, & malitiosum videatur, Nos, vel nostros Vicarios admoneat, vt à Nobis, quod in hoc sit faciendum, accipiat. Si quis verò ex industria, & malitiosè falsum detulerit impedimentum, ne Matrimonium contrahatur, præter alias iuris pœnas, etiam excommunicationis latæ sententiæ vulnere sanciamus. *c. cũ inhibitio de cläd. desp õs.*

Si duorum, à peractis in Ecclesia denunciationibus, mensium, transierit interuallum, absque nostra licentia Matrimoniũ minimè contrahatur, nisi recta earũdem repetitio intercesserit.

8 Matrimonio demùm ritè celebrato; Sponsisque officij sui paternè, ac breui, sed efficaci recordatione commonitis, Missę peragatur Sacrificium, quo absoluto, benedictio nuptiarum de more fiat. *ibid.*

Ea

Ea autem non differatur vltra quindecim dies post celebratum Mattimonium, idemque seruetur, quando ex nostra dispensatione extrà Ecclesiam Parochialem celebratum est. Si verò intra tempora, quibus nuptię prohibentur, contraxerint, octo intra dies ab apertis nuptijs ad Ecclesiam, benedictionem accepturi, accedere teneantur.

c. in pręsẽtia de spõsa. c. 2 de secũ. nupt.

9 Coniugatum, aut coniugatam, cui ex prætensa morte Coniugis absentis, desiderium incidat ad aliud consortium conuolandi, Parochus ad contractionem non admittat nisi de nostra licentia.

Parochus, vbi aliquos suæ curæ commissos sub prætextu Matrimonij, vel alio quocumque quæsito colore illicitè cohabitare, vel carnali copula se commiscuisse cognouerit, eos ad nos deferat.

Si quis etiam ex aliena Diœcesi veniens mulierem secum duxerit, quam vxorem esse affirmet suam, & Vicarius de illius statu meritò suspicetur, vt concubinam probabili iudicet coniectura, legitimi fidem Matrimonij ostendendam exposcat, quam si ab huiusmodi viro recipere minimè valet, illum vti concubinarium Nobis denunciet, eosque interim simul viuere

non

non permittat.

Qui prima vxore relicta, cum alia illa viuente, per summam impudentiam, infamiam, & grauissimum scelus contrahere præsumpserit, publica, & ignominiosa fustigatione mulctetur, ad triremes per quinquennium damnatus; fœmina verò, si culpabilis inuenta fuerit, acri etiam animaduersione plectatur.

trid. sess. 24. cã. 7. c. xii habe ret de eo. qui dux. in vxor. & tit. de spōs duo

Viri vxores suas à maritali consortio temerè repellentes, vel contra vxores maritale domicilium, torumue deserere, ac separatim commorari præsumentes, à Parochis priuatim moneantur, vt indiuiduæ vitę consuetudinem retineant, onera Matrimonij, pacis, & charitatis indissolubili coniunctione inuicem supportantes; quòd si non audierint, Nos Parochi certiores faciant; vt, si legitima causa perspecta non fuerit, pœnis, & censuris eos cogamus, minus enim decet, vt quos Deus coniunxit, ob prauam voluntatem ij Diaboli suasionibus, vllo vnquam tempore separentur.

Matth. 19. 7

Si Sponsus, à Parocho interrogatus, in Matrimonium consenserit; Sponsa verò item interrogata non respondebit, vel renuerit, nec Sponsus, nec Sponsa eo die iterum interrogentur; sed Nos, vel Vicarios nostros moneat, vt

T de

de opportuno remedio prouideamus.

Vt Matrimoniorum, quæ in vnaquaque Parochia contrahuntur perennis memoria seruetur, ex sacrosancti Tridentini Concilij dispositione singuli Parochi certum librum habeant, in quo nomina, cognomina, diem, mensem, annum, atque locum contracti Matrimonij, & sui nomen describat.

sess. 24. de refor matrim c. 1. ī fin


Recordentur ex Tridentino nuptiarum solemnitates, seu benedictiones à Dominica prima Aduentus, vsque ad diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum, vsque ad octauam Paschæ inclusiuè esse prohibitas, alijs verò temporibus in proprijs Parochialibus Ecclesijs esse concessas.

sess. 24 c. 10. de ref. mat. c. non oportet. 34. q. 4

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Ea est puellarum erubescentia, & timor, vt si interrogentur coram viris, non parum lædatur libertas assensus. Quapropter visum est Nobis expedire, quòd Parochi, antequam faciant denunciationes, interrogent separatim Sponsam de voluntate, accipiantque sincerum assensum.

LI-



LIBER

TERTIVS

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS, & ad illas pertinentibus.

QVamuis Deus circumſcribi nequeat, nec locorum obſeretur anguſtijs, eius enim Spiritus replet orbem terrarum, nec longè abſit ab vnoquoue noſtrum, Templumque eius totus ſit Mundus, vt vbique eum in Spiritu, & veritate adorare liceat, qui in occulto exaudiens, in occulto etiam coronat: ſpeciali tamen præexcellentia in manufactis Templis, quæ ad eius cultum, & religionem vbique terrarum ſunt conſtructa, aſſidet; & multiplici Nos miſericordiarum ſuarum dono cumulando lætificat. Eſt enim Dei Eccleſia Regis palatium, Chriſti Corporis aula penetralis, Reliquiarum arca, Sacramentorum cuſtodia, ſpiri-

ritualium thesaurorum armarium, sanctorum Virorum sepulchrum, Christianorum classis. Fidei cathedra, in quam Fideles ad diuinas persoluendas laudes, & Sacramenta suscipienda conueniunt: proinde omni diligentia, nitore, ac pietate custodiri, quam maximè peroptamus.

DE ECCLESIA Cathedrali.
Cap. I.

SAncta hæc nostra Mazariensis Ecclesia, quam à Rogerio Comite Nortmanno, ob partam victoriam contra Saracenos, in eodemmet, quo nunc sita est, loco, ab ipsis fundamentis extructam accepimus annum circiter 1093. eamdemque quà munificentissima liberalitate, quà amplissimis muneribus dotatam esse nouimus, speciosum forma præ filijs hominum, non solùm Tutelarem, & Patronum, verùm etiam sponsum habere meruit Dominum nostrum, Seruatorem Christum Iesum, cuius, solemnis dies festus sexta Augusti, qui suæ Transfigurationi Sacer est, & huiusce Cathedralis titulus annua deuotione colitur, & veneratur. Huic primò præfuit Antistes Stephanus Rothomagen-

ſis. Hæc etiam Dignitatibus quatuor mirificè decoratur, Cantoris videlicet, Archidiaconi, Decani, & Theſaurarij. Quatuordecim inſuper Canonicorum, qui Numerarij, ſeu Ordinarij appellantur, præfulget obſequio, quibus alij in præſentia quatuor Canonici Supranumerarij adſcribuntur, qui hoc ipſo numero aliquando poſſunt eſſe plures, vel pauciores; quandoquidem ex peruetuſta huius Sanctæ Eccleſiæ conſuetudine, quilibet Epiſcopus duos Canonicos Supranumerarios, alterum ſcilicet in fęlici eius aduentu, alterum verò, ex Capituli conſenſu, creare poteſt.

Additiones, & variationes.

Prædeceſſorum noſtrorum prouidentia, vt ampliorem Deo exhiberet cultum, ſupra quatuordecim antiquos, alios quinque Canonicos Numerarios inſtituit. Quorum duos pietas Bernardi Caruaglio, & Antonini Galletti fundauit, qui voluerunt, vt eſſent de Iure Patronatus Epiſcopi cum conſenſu Capituli; Sede autem vacante, ſolius Capituli, vt hactenus ſeruatum eſt; reliqui tres ex duobus beneficijs Curatis, & Terminatoratu originem trahunt. Poſtremo in prędentia augent numerum tres Supernumerarij Canonici, qui de fœlici aduentu nuncupantur.

DE DIGNITATIBVS & Canonicis.

Cap. II.

1 QVatuor Dignitatum munia hęc sunt; Cantoris in primis, qui omnibus Canonicis, & Clero præsidet, tam in processionibus, quàm in Choro, post Episcopum locum primum obtinet, eiusque vicem gerit in decantandis vesperis, & Missis solemnioribus, si absens sit, vel impeditus, aliasque obit in Ecclesia functiones, quæ sibi specialiter incumbunt; Chorum dirigit, lectiones disponit in diuinis Officijs, Episcopo Pontificalia exercenti, assistit, eidemque Antiphonas pręintonat, & Capitula absoluit; ipsius est pręterea in medio processionis, quando pluuiali induitur, baculum deferre; tabellas à Subcantore pro diuinis Officijs exequendis firmare, & Missas proprias, iuxta tabellam infrascriptam, decantare. Eo non interueniẽte, loco succedit Archidiaconus; huic Decanus, qui vna cum Archidiacono hinc indè à dextris, & à sinistris, Pontifici in throno assidenti ministrat. Decanum Thesaurarius, quarta Dignitas subsequitur, qui præter suas peculia-

res functiones in Ecclesia obeundas in supradictarum Dignitatum absentia, earum vices implet, & cæteris in Choro præeminet. Eius verò præcipua cura est quolibet anno simul cum Subthesaurario, & interuentu Canonici vnius per Capitulum deputandi rerum omnium, & supellectilium Ecclesiæ inuentarium conficere, cuius exempla ab ipsis, & Canonico prædicto subscripta singuli singula penès se retineant. Quo inuentario confecto, primò, Sanctorum Reliquias thecis argenteis, vel alia materia reconditas, diligenter custoditas velit; sacra deinde vasa argentea, & aurea, anulos, sacras mitras, ecclesiastica indumenta, iocalia, & cuiusuis materiæ supellectilem, quæ in thesauri sacello reperiuntur, in numero, pondere, & mensura, diligentiam in custodiendo adhibeat, ex quibus prorsus nihil, nisi ex nostra expressa facultate cuipiam commodare potest. A manu Thesaurarij eiusdem, cum Nundinæ Sanctissimi Seruatoris primò exponi debent, earum regium Vexillum Præfectus, seu Magister Feriæ solemniter recipit. Primus Canonicus Thesaurario, & sic successiuè alter alteri occupato sufficitur, tam in Choro, vt maior Præsidens, quàm in cæteris Ecclesiæ ministerijs obeundis, iuxta Constitutio-

tiones huius nostri Capituli speciales, & ordinem in tabella præfixum. Dignitates quatuor prædictę, videlicet Cantor, Archidiaconus, Decanus, & Thesaurarius, nisi eis annexus sit Canonicatus, nullum habent votum in Capitulo, neque actiuum, neque passiuum.

✠✠ 2 Quatuordecim Numerarij, seu Ordinarij Canonici locum in Choro tantùm inter se optant. Supernumerarij verò locum, & vocem habent in Capitulo non secus, ac Ordinarij, & suas quique per ordinem Ecclesiæ functiones, quemadmodum quatuordecim præstant, eodemque insignio, quo Dignitates omnes, & cæteri Canonici, vtuntur; locum verò, & stallum in Choro, haud cum numerarijs, sed inter se optant, quorum cum persona extinguitur Canonicatus.

Omnes deinde sunt Presbyteri. Eorum insignium est ad superpelliceum caputium rubeo subtegumento circumdatum ostentaculo deferre. Onera, & functiones suo quisque ordine exequi debet, tam ex præscriptis huius Sanctæ Ecclesiæ consuetudinibus, quàm ex ipsorum Decretis Capitularibus, quæ à Nobis recognita, obseruari mandamus.

✠✠ 3 Præcipuè verò hæc ab ipsis obseruentur,

vt Missę, quas Canonicales appellant in orbem, & iuxta tabellam decantentur.

Ad Passionem in Hebdomada sancta decantandam, in primis tres in Dominica Palmarum eligantur à Præfecto Chori Canonici. In Feria tertia Diaconi ex nostræ Cathedralis Clero succedant, & in eorum defectu tres vltimi Sacerdotes de Clero. Quarta Feria ex eodemmet numero Sacerdotibus tribuatur. In die tandèm Parasceue Beneficiati locum obtineant, & ex vnaquaque classe tres eligantur.

Sequenti die post anniuersariam Fidelium defunctorum commemorationem, nisi fuerit Dominica, ab vna ex Dignitatibus circulariter canatur Missa pro Defunctis omnibus Episcopis Sanctę huius Cathedralis; altera verò die pro demortuis Canonicis ab eorum vno, eodem pacto cantetur; tertia die ab altero item Canonico pro Beneficiatis, & Sacerdotibus è vita cessis; quarta verò à Beneficiatis pro Clericis.

Quolibet anno Episcopi vltimò defuncti, qui Sanctam hanc Cathedralem Ecclesiam immediatè gubernauit, diem anniuersarium celebrari volumus; Missa verò de Requiem per ordinem successiuè cantabunt Canonici ab ipso creati, in quorum defectu alij Canonici suas

quique vices adimpleant.

Audita Summi Pontificis morte, in Cathedrali ſtatim duæ decantentur diuerſis diebus miſſæ, vna pro illius anima, altera verò de Spiritu Sancto, vt Deus O.M. & Dominus noſter, ad Eccleſiæ ſuę ſanctæ pręſidium, communem animarum Paſtorem ex omnibus dignetur meliorem optare. Id, quod præſtabitur in omnibus Diœceſis noſtræ Parochialibus Eccleſijs. Epiſcopo verò defuncto, tam in Cathedrali, quàm in tota Diœceſi, duæ item cantentur Miſſæ diuerſis diebus de Requiem, vna pro eodem Antiſtite, de Spiritu ſancto altera pro auſpicatiſſima pij, vigiliſque Succeſſoris electione. Cæterum Populum adhortentur Parochi ad fundendas Deo preces, cùm pro demortuo Paſtore, tum pro ſubſequentis delectu.

✠✠ 4 In Sacriſtia quoties pro Sacro faciendo conueniunt Canonici, Beneficiati, vel alij Sacerdotes ex Clero, hic toties ſeruetur ordo, nimirum: Canonici cęteris pręferantur; at in eorumdem celebrationem is primum obtineat locum, qui primus ſacris indutus eſt veſtibus. Ex Clero quotquot apparati fuerint ante Canonicos primò egrediantur. Epiſcopo quoties miniſtrabunt Canonici, faciant ante alios quoſcumque

que Sacrum, ne ſint futuris impediti functionibus. In ſolemnitatibus Canonicalibus, cum de conſuetudine, totum non decantatur officium, mandamus, vt poſthac cantetur ſaltem Inuitatorium, Hymnus ſubſequẽs, Te Deum, Hymnus Laudum, & Benedictus. In ſolemnioribus feſtiuitatibus, videlicet Natalis, & Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, & Transfigurationis Domini, Matutinum integrum cum Laudibus, & Tertia. In reliquis verò conſuetudo hactenus ſeruata perſeueret.

5 Ad diuina Officia perſoluenda, omnes in Choro conueniant, ſuis quique inſignibus ornati, tàm Canonici, quàm Beneficiales, & reliqui ex Clero; nullus alterius occupet ſubſellium, nec minor in ſtallo ſupra maiorem ſedeat, ſed Dignitatis ſemper, & antiquitatis, tam in ſedibus, quàm etiam in proceſſionibus ratio habeatur. Qui ſecus fecerit, pœnam ſubeat punctationis, nec aliter, ac ſit abſens, annotetur. Id quod intelligi non debet de hebdomadario Canonico, cui in ipſo, vel Cantoris, vel Archidiaconi ſtallo, officium ſolemniter celebraturo iuxta Chori mutationem ſedere contigerit. Inter canendum interiùs, exteriùſque ita ſe gerant, vt non ſtrepitus oris, ſed iubilus cordis, non ſonus

labiorum, sed motus gaudiorum, voluntatum, non vocum cõsonantia tantùm audiantur. Quo quidem tempore à Choro recedere licet nemini, siue Canonico, siue Beneficiato, vel confessionis excipiendæ causa, aut Sacrificium peragendi, nisi facta reuerentia, & salutato Chori Præfecto. Contrafacientes absentiæ pœnam, quam eamdem recedentes à Choro non persolutis horis, subire intelligant. Diuinorum tempore officiorum in maiori Altari nemo ad celebrandum accedat.

D.Ber. ser. I. in cant.

6 Si quando ad funus prosequendum Capitulum vna cum Clero vocatur, omnes è Cathedrali Crucem associantes exeant, eamdemque redeuntes, qua par est, veneratione, & ordine comitentur. Distributiones verò candelarum fiant in Choro, Sacristia, vel alio separato loco Cathedralis, etiam si cadauer alibi sit sepeliendum, eo tamen ordine, vt à Dignitatibus, & antiquioribus Canonicis, ad Beneficiatos, inde ad reliquos Sacerdotes, porrò ad Clericos deueniatur. Quod si formam hanc perturbari contigerit, perturbationis reus, candelam in pęnam, seu cereum prima vice amittat; si secundò depræhenditur, carceri mancipetur.

7 Capitulum Canonicorum si cogendum

erit

erit de rebus ad Canonicalem Mensam spectantibus, vel de aliquo alio, quodcumque illud sit seriò pertractatum, soli interſint Canonici, ad id conuocati de maioris Capituli mandato per sonitum campanæ dictæ (la Hieronyma) siue per internuncios, singuli tamen ad horam præscriptam in Thesauro conueniant; Capitulum verò ipsum ab inuocatione Sancti Spiritus incipiat; quod non nisi rebus peractis dicta sub finem orationem dimittere licet; vota suo ordine, & gradatim ferant omnes, quæ maior ex Canonicis recipiat, vt secundùm maiorem suffragiorum partē terminetur. Vota verò Canonicorum absentium recipi nullo debent negotio, si tamen fuerint recepta, suffragium pro nihilo habeatur. Risus, ioci, ac rixæ vitentur, quàm maximè; res sine tumultu, ac strepitu, tam in loquendo, quā in respondendo, omni, qua decet, modestia tractandæ sunt, nec prius, quàm suus vnicuique dicendi locus appetierit, loqui aggrediatur, dicentem. Nemo interpellet, aut vanis contendat disceptationibus. In deliberandis negotijs alicuius momenti, vota, & suffragia occultè per scrutinium, non palàm percurrant, vt vnusquisque liberè suam sententiam explicare possit idemque in electionibus quorumcūque Officialium

Cōg. ep. 6. octob. 1617

à

ibid. 13. maij. 1615. à Capitulo nominandorum seruetur. Quod si alicuius Capitularis negotium erit agendum, ipso pręsente, votum ferri non licet, nisi prius loco Capituli decesserit.

8 Munus Cancellarij, qui ex Canonicorum numero eligitur, erit primò, eos adnotare, qui Capitulo non interuenerint, vt qui personaliter nomine Capituli, pro ipsius negotijs, & communi interesse vocati iustam absentiæ causam non reddiderint, per mensem voce actiua, & passiua, atque ab ingressu Capituli priuati intelligantur. Cuius quidem causæ, seu absentiæ legitimum impedimentum ab ipso Capitulo recognoscatur.

Secundò idemmet Cancellarius, quæ fuerunt in præcedenti Capitulo statuta, & determinata proponat eo consilio, vt executioni sint ne demandata cognoscat, cuius rei gratia librum habeat, in quo vota omnia, Votantium nomina, & decisiones omnes describat, annotando diem, quo Capitulum fuit collectum. Ne verò quæ ab ipsis Capitularibus tractata sunt, publicè deinde deferantur, sub pœnis arbitrio nostro infligendis mandamus, ne cui liceat secretum Capituli exteris reuelare.

8 Electus à Capitulo in aliquod officium, nul-

nullo pacto excuſetur; quòd ſi legitimam excuſationis cauſam proponat, ſecretis ſuffragijs ab ipſomet Capitulo approbari mandamus. Si contrarium viſum fuerit, onus ſuſcipiat: renuens voce actiua, & paſſiua per quatuor menſes in Capitulo priuetur. Officiales Capituli quolibet anno in Transfiguratione Domini, vel eius octaua eligantur.

✠✠ 10 Scripturæ omnes, quæ ad Capitulum ſpectant, in deputato Theſauri loco aſſeruentur, cuius claues penès ſint Magiſtrum Communerium, ex quo ſcriptura nulla transferri poteſt abſque Capituli facultate, ſub excommunicationis pœna.

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Quibus numerarios eſſe conceſſum eſt, ratio poſtulat, vt etiam prerogatiuas tribuamus; proinde ſupradictis Parochis, & Terminatori facultatem adoptandi locum in Choro inter ſe, & cum alijs Numerarijs; ceſſantibus tamen Supernumerarijs, qui tempore eorum erectionis inueniebantur Canonici. Ex Indulto Pontificio dat. Romæ Kalend. Octobris 1686. Eorum Inſignia ſunt Cappæ violaceæ cum pellibus albis hiberno, æſtiuo autem tempore cum faſcis ſericis purpureis, ac rocchetto.

ad

ad num. 3. Cum Canonicos eximeamus, meritò eorum loco personatus subrogamus, vt in die Dominica Palmarum Passionem decantent. Quare cum opus fuerit, tres ex his Præfectus Chori eligat; in reliquis diebus seruetur antiqua dispositio Synodalis.

ad num. 4. Quoniam Festum Corporis Christi inter solemniora ab Ecclesia vniuersali computatur, par ratio vrget, vt etiam in illo Matutinum integrum cum Laudibus, & Tertia decantetur.

ad num. 10. Scripturæ omnes ad Capitulum spectantes tribus clauibus obseratæ sint; ex illarum enim conseruatione, & integritate, maximè penderit iura Ecclesiæ, bonum pacis, & Capitularis obseruantia. Vna erit apud Nos, vel nostrum Vicarium Generalem, altera apud antiquiorem Canonicum Capituli, tertiam deniq. clauē Cancellarius eiusd. Capituli seruabit.

DE PRAEBENDA Theologali erigenda.

Cap. III.

1 NEminem profectò latuit, quantùm vtilitatis Viri, doctrina, morumque integritate præditi in aliorum eruditione

Ca-

Catholicæ Ecclesiæ attulerint, præsertim si sacrorum librorum explanationem, per quam vnusquisque affluenter instruitur, quid sperare, quidue operari oporteat, vel moralis Theologiæ, qua nostræ, & alienæ prospicimus saluti notitiam tradũt. Propterea Pastorale munus paterna charitate persoluere cupientes, totiusque nostræ Cathedralis Cleri commodum iugiter anhelantes, & nostræ satis conscientiæ facere, illam quam primùm, iuxta Sacri Concilij Tridentini Decretum, erigi curabimus. Ille verò, quem eligemus, vita, moribus, ac scientia perornatum, diebus, & horis à Nobis statuendis publicè positiuam, Scholasticam, vel Moralem Theologiam à Nobis item definiendam, & præscribendam per horæ spatium exponat; semper ea, quæ frequentiora, & magis necessaria iudicauerit discutiendo. Quod si ab ea lectione absque legitima causa defecerit, duodecim tarenos qualibet vice exoluat. Chori verò Puncterius omissiones hasce fideliter annotet, Nobisque referat, vt prædicta pœna exigatur, Seminarij necessitatibus applicanda.

c. cũ ex eo de el. pōt. ĩ 6

sess. 5. de refor. c. 1

2 Volumus insuper, vt his Lectionibus, ei præsertim quæ de casibus conscientiç instituitur omnes Curati, Confessarij, Sacerdotes, sacris-

cong. ep 16. mar 1593

crisque Ordinibus initiati, siue Cathedralis, siue Parochialis Ecclesię statuta hora, datoque campanæ signo, intersint, sub pœnis arbitratu nostro imponendis, vt inter lepram, & lepram diiudicare, morborumque animi qualitatibus inspectis, condignam cuique satisfactionem iniungere, ac salutare remedium valeāt applicare.

trid. sess. 5. c. 1 Regulares verò summoperè hortamur, vt omni, qua poterunt, diligentia, adesse studeant, vt qui sanctis Institutis, vita, moribus, & exemplo Fidelibus profuerunt, possint etiam eisdem doctrina melius prodesse.

Additiones, & variationes.

Vt suum consequatur effectum, propterea à Sacrosancta Tridentina Synodo fuit præcepta Theologalis præbenda, volumus, quod semel in hebdomada Canonicus Theologus lectionem instituat, die à Nobis designanda, in qua explicabit tractatum aliquem moralem ab ipso cum nostro consensu electum. Post lectionem duos proponat casus miscellaneos, ad quos respondere teneantur Confessarij omnes, etiam si sint Canonici; auditis eorum responsionibus, vltimò Lector ipse suam dicat sententiam.

Volumus, vt huic lectioni, & casibus intersint omnes in numero secundo designati, sub

hac

hac tamen pœna, ſcilicet, quiſquis ex Sacerdotibus defecerit, prima vice priuetur celebratione per quatuor dies; ſecunda per octo; tertia verò carcere mulctabitur ad noſtrum arbitrium. Diaconi autem, & Subdiaconi diuerſimodè punientur; prima pœna erit tarenorum ſex, ſecunda tarenorum duodecim, tertia dilatio biennalis ordinis, ad quem ſunt accenſuri. Occurrente legitimo impedimento, illud Nobis proponant, aut Vicario Generali, vt excuſationem obtineant.

Denique, & ſi grauare Præbendam theologalem, onere explicandi diuinam Scripturam, non cēſemus; hortamur tamen, quoties id non fiet à Nobis, vt vnoquoque menſe familiarem ſermonem habeat ad Sacerdotes, Sacriſque initiatos de eorum obligatione erga Deum, vel Eccleſiam, aut proximos.

DE CANONICO Pœnitentiario. *Cap. IV.*

ET quia Pœnitentiarij munus omni, qua par eſt, diligentia miniſtrari oportet, ne ex inſcitia fraudis aliquid irrepat cum Anima- *id. ſe. 24 de refor c. 8.*

rum diſpendio, diſtrictè mandamus, vt noſtræ Cathedralis Pœnitentiarius, qui ſaltem annum attingat quadrageſimum, vir ſit omni ſcientia, & probitate præditus Theologiæ, vel ſacrorum Canonum profeſſor, idoneus, prudens, promptus ſemper ad Fidelium confeſſiones excipiendas, præcipuè verò cum ſolemnitatibus, iubileis, & lucrandis indulgentijs Populus interuenire ſolet; quo tempore, tum aliàs caſuum Nobis reſeruatorum poteſtatem ſibi faciendam curet. In imponendis pœnitentijs, ne Sacroſancti Concilij Tridentini Decreta prætereat, & cautus ſit pœnitentias nedum pro qualitate criminum, ſed etiam ſecundùm ſtatum Perſonarum imponere, vt ſatisfactio ſine ſcandalo ſequatur.

id. ſeſſ. 14. de ſatis. c. 8

DE CANONICO
Vicario Eccleſiæ.
Cap. V.

VNus de Canonicorum Capitulo à Nobis nominatur, qui Eccleſiæ Vicarius dicitur. Cuius intereſt Horas iuxta ordinem in Capitulo de diuinis officijs ſecundùm tabellam per menſes diſpoſitam deſignare, & ſacriſtis imponere, quo tempore pulſandum ſit, habita ſem-

per ratione solemnitatum, & Populorum concursus. Sacerdotes Sacra facturos ad celebrandum ita distribuat, vt absque vlla perturbatione numerosæ Populi frequentiæ missæ in Ecclesia respondeant, præcipuè verò diebus festiuis. Eius tandem inuigilent curæ, ne quid in Ecclesia ipsa Cathedrali indecorum, ne quid sordidum reperiatur; si quid opus erit, diligentissimè perquirat, atque necessitatibus quantocius occurrere studeat. In arduis autem rebus Nos audire volumus.

DE CANONICO *Magistro Communerio.* *Cap. VI.*

MAgister Communerius ex antiqua Sanctæ huius Cathedralis consuetudine è Canonicorum Capitulo, & eorum numero quotannis in anniuersaria Sanctissimi Seruatoris nostri Domini celebritate eligitur seruata circuli forma, qua onerum quisque particeps esse debet. Huius officij dispensatio est in funeribus associandis, cum eundum erit, ab ipso designatæ ex Clero personæ Crucem tradere; ceram albifactam, non minus, quàm haud purgatam re-

cognoſcere, & coram ſe ponderibus dimenſam, certo metiri prætio, atque ſtatutis temporibus ex Eccleſiæ præſcripto de prouentibus omnium mortuariorum, ceræ, & campanarum à Connumerio diſtinctam computationem expoſtulare.

DE MAGISTRO *Maragmerio.* *Cap. VII.*

MAgiſter Maragmerius à Nobis electus, prouentus omnium debitorum Cathedralis exigit, eorumque computationes cum duobus Canonicis, qui à Nobis deputandi ſunt confert, in his, ſi quid implicatur difficultatis, Nobis renunciabit. Si quis in Cathedrali tumulatur, propriam non habens ſepulturam, ſuum eſt locum, & eleemoſynam de noſtro conſenſu deſignare.

DE PERSONATIBVS, *& Beneficiatis.* *Cap. VIII.*

1 PErſonatus, Beneficiati, & cæteri Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi huic Sanctæ Cathedrali Eccleſiæ addicti Coadiutores

ſunt Canonicorum, & in diuinis perſoluendis Officijs æquè, ac ipſimet Canonici ſtatis horis continuò Chori ſeruitio adeſſe debent; nimirum cum Horæ Canonicæ perſoluuntur, ac Miſſæ maiores decantantur. Eorum nullus Chorum intret ad hæc exequenda munia, niſi ſuperpelliceo, & almutio, qui eo vtitur, veſtitus, nec indè exeat, niſi Præfecto Chori ſalutato, & facta de more reuerentia.

2 Dum legunt pſalmos, vel cantant, ſi pauſam (vt decet) in medio verſu faciunt, ſi diſtinctè, ſedatèque legunt, ſi clara, compoſitaque proferunt voce, non ſolùm omnia, diſtinctè percipient adſtantes, verùm etiam audientium aures delectatione capientur. In thure, ſeu incenſo, paceque danda, atque recipienda, mutuam præſtent reuerētiam, inuicemque ſeſe inclinent, modeſto, compoſitoque geſtu, vt laudabiliter conſueuerunt.

3 Beneficiati numerum vndenarium non excedunt, qui omnes ad ſuperpelliceum, nigro vtuntur almutio, ſericam cęrulei coloris victam circum ipſum geſtantes ad Canonicorum diſtinctionem; horum Beneficiatorum duo Cappellani Curati ſunt, qui iuxta Tridentini Decretum in examine per concurſum inſtituuntur, quique

om-

trid. sess 24. c. 18 de refor omnia, quæ ad Animarum curam spectant, intra Cathedralis Parochiæ ambitum, vti fusiùs in hac sancta Synodo commendantur, exequi debent. His post Canonicos immediatè ante omnes alios hinc indè in Choro, & processionibus tribuitur locus; in Choro cum caputio sine stola; diuina decantatum Officia accedant, ea verò in Ecclesia in Sacramentorum administratione, atque in funeribus associandis, vtantur,

✠✠ 4 Post primum Cappellanum Curatum, succedit Terminator, qui ex parte (qua Archidiaconus in Choro stallum habet) sedet. Huius Personatus muneris est, quale quotidie Officium dicendum sit, simplex, an duplex, de festo, an de feria, quæ item Antiphonæ, Orationes, Psalmi, & Lectiones recitandæ diligenter, & pręmaturè commonefacere, Dignitatibus denique sacra solemniter facientibus Euangelium decantare.

5 Ipsi Terminatori immediatè, & ex eademmet Chori parte Subcantor adiungitur, cuius sunt partes Ministros omnes de suo præmonere officio, Euangelium, aut Epistolas decantaturos disponere, Acolythos, Ceroferarios, Pluuialia, & Thuribula dispensare, cum Hebdomadarius è Subcantoris latere in Choro consi-

ſiſtit. Singulis quoque mẽſibus tabellam à Cantore firmandam, tam pro diuinis Officijs, quàm pro Miſſis ſolemnibus, Euangelijs, & Epiſtolis à Canonicis, & Beneficiatis decantandis ſcribere, & in Sacriſtia proponere in proceſſionibus Pluuiali vtitur, & Baculo. Eius præterea muneris eſt ſuis temporibus Choro intereſſe, Antiphonas, Pſalmos, Hymnoſque de more intonare. Ea denique omnia, quæ ſingillatim quiſque obire debet, quæque diuinorum Officiorum ordo recitandorum, & ratio exigit, cum Miniſtris ſæpiùs agere, ne quid incidat, quod tempori, vel ſolemnitatum diſpoſitionibus minùs congruum ſit.

6 Ex altera verò Chori parte poſt alterum Cappellanum Curatum, ſubſellium habet Magiſter ſcholę, qui cum Hebdomadarius ex ea parte Officium facit, intonitiones Antiphonarum, Pſalmorum, & Hymnorum exercebit, atque in Subcantoris abſentia, omnia huiuſcemodi præſtabit munia. In proceſſionibus iunctim cum Subcantore induitur pluuiali, mediuſque cum illo inter alios Beneficiales procedit. In Epiphania Feſta omnia mobilia ex more publicat. In Sabatho ſancto arundinem ornatam, cùm tribus candelis pręparat, præcinitque (Exultet iam

Angelica tuba) & in Transfiguratione Clericos instituit pro solita vocatione omnium, & quorumcumque ad obedientiam præstandam nostræ Cathedrali Ecclesiæ obligatorum, aliaque exequitur munera, sicut & cæteri Beneficiati.

7 Terzerarius locum obtinet in Choro post Magistrum Scholæ, qui omnes supradictas functiones, deficientibus Subcantore, & Magistro Scholæ adimplebit.

Hi supradicti omnes dicuntur Personatus, qui proprias habent, & distinctas præbendas, ac Missas iuxta tabellam suo quique ordine decantant.

8 Hos Personatus subsequuntur alij quinque Beneficiati à Reuerendissimo de la Caua Prædecessore nostro Instituti, & erecti. Proprius horum est Missas decantare, & Canonicis alternatim illas celebrantibus Euangelia. Ex Personatuum verò defectu inferiores sibi è Clero ad diuina peragenda piè, deuotèque dirigere.

Additiones, & variationes.

ad num. 4. Quamquam Parochi, & Terminator, Canonicali dignitate insigniti locum obtinent, vt supra, remanent tamen obstricti illis obligationibus, quam exercitium non repu-

gnat cum Canonicatus, pro vt hodie seruatur.

DE SVBTHESAVRARIO, & Sacristis.
Cap. IX.

SVbthesaurarius ecclesiastica omnia indumenta, sacra vasa, & reliqua in Thesauro seruata, sibique concredita, pura, nitidaque conseruet; nihil ex dictis particulari alicuius ex Capitulo vsui applicare potest, sed indistinctè omnibus omnia sint exposita, aliqua verò separatim Canonicis à cæteris Præsbyteris. Duo in sua electione statuuntur Sacristæ, quorum interest campanas ad diuina celebranda Officia statis temporibus pulsare; Altaria, & Episcopalem Sedem nostram sternere; Ecclesiæ ianuas, & occludere, & aperire, quam ab omni expurgent immunditie, & sordibus, tum libros in Choro ad diuinorum deferre celebrationem. Curet Subthesaurarius, vt hi suo probè inuigilent muneri, Altaria iuxta temporis, ac solemnitatum rationem decenter ornando, eiusque coloris vestes Sacerdotibus celebraturis in dies singulos exhibendo, quæ pro Ecclesiæ ritu Sanctorum, vel temporum celebritati conueniunt.

Id quod tum maximè fieri debet, cum Nos Missę Sacrum, & Vesperarum Officium solemniter celebramus, vel cum alia huiusmodi obimus publicè munia. Præterea singularem dent operam, ne vestes, ornamenta, ac cætera linea indumenta, quibus Clerici induuntur, vel Altaribus seruiunt, lacera sint, aut indecoro obsordescant puluere, squalloreue. Calices perpolitos, ac splendidos (vt qui Christi Iesu Sanguinem sint excepturi) inauratos optimè, integrosque ex omni parte singulis hebdomadis in pelui ad huiuscemodi tantùm vsum comparata abluant. Quęque de Purificatoriorum, & Corporalium nitore, deque ablutione in Missæ Constitutionibus præcipimus, accuratè seruent.

Additiones, & variationes.

Quò magis instituentium menti, & fundationum dispositionibus, Nos conformamus, eò perfectior erit electio, & institutio, quoties ergo in futurum eligi Subthesaurarium contigerit, id omninò fiet iuxta præscripta in fundatione.

DE

DE CAEREMONIARVM *Magistris.*
Cap. X.

PRæter Magistrum, quem Nos à sacris cæremonijs pro nostro seruitio, & functionibus eligimus, ex Cleri numero alter per Capitulum constituitur cum destinata mercede, qui Dignitatibus, & Canonicis solemniter celebrantibus, & diuina Officia persoluentibus assistat, in Matutinis, Laudibus, & cęteris omnibus Horis, Canonicos ad lectiones in medio Chori incedentes associet, & ad stallos vsque perducat; Thuriferarium eosdem incensantem comitetur; Ecclesiæ Ministros, quæcumque ab eis ritè agi oporteat diligenter, grauiter, & submissa voce, vel per nutus commonendo. Significet idem ijs, qui in Choro adsunt, quando standum sit, aut caput inclinandum, aut flectenda genua; quomodo coram sacro Altari, & Nobis gerere sese debent. Ceruferarios, & Thuriferarios instruat, vt sine turbatione, & reuerenter suas obeant partes, in quibus omnes illius nutui audientes esse mandamus, sub pœna carceris à nostro Vicario (si secus factum fuerit) infligenda;

Ip-

Ipse verò cæremoniarum librum præ manibus habeat, sic quemadmodum par est, instructus diligentiùs suo satisfaciat muneri. Volumus autem quod tam in nostra Cathedrali, quàm in cæteris respectiuè Ecclesijs omnimodè seruetur Cæremoniale Romanum; omnem, & quamcumque contrariam consuetudinem, seu desuetudinem, abrogantes super quo Vicarij nostri, cæterique Ecclesiarũ Rectores, vel ad quos respectiuè pertinet summopere inuigilent, Nobis de trãsgressionibus exactam rationẽ reddituri.

DE CLERI
Communerio.
Cap. XI.

CLeri Communerius à Personatibus, & Beneficiatis, singulis annis per circulum in die Sanctissimi Seruatoris eligitur, qui cereos omnes à Magistro Communerio sibi assignatos custodire debet, quos in promptu semper habeat, tam albos, quàm non, vt requisitus exhibeat in funere alicuius, vel numerata pecunia, vel accepto pignore, & hos inter Capitulum, & Clerum ordine, & modo supra citato in hoc libr. 3. cap. 2. num. 6. distribuat. Pro eodem

item mortuario prouentus ex campanæ pulsatione conferuet, atque statutis temporibus de more post computorum reuisionem, emolumenta omnia, sua cuique ex Capitulo, & Clero tribuat. Cereos ipsos (si à Clero sibi venderentur) emere non recuset, sed iuxta constitutum à Magistro Communerio pretium, mercabitur; à Personatibus verò, & Beneficiatis de pretio, quo ipse suos vendiderit cereos, nihil diminuat, ex obseruata inter eos consuetudine. Pro iure exactionum, & suorum laborum mercede, tarenum vnum pro qualibet vncia sibi percipiat, nec non in distributione candelarum, cereum Canonicis coæqualem retineat.

DE DEPVTATIS Chori, & Punctatore. Cap. XII.

CHori Deputati quotannis per Clerum tres eligantur, quorum munus est pecuniam pro distributionibus receptam participantibus distribuere, & Punctatorem eligere. Punctator verò ab ipsis electus quolibet trimestri renouetur. Ad eum spectat in dies singulos eos adnotare, qui suis defuerint muneribus, singu-

lis-

lisque mensibus Chori Deputatis tradere. Huius erit etiam videre, qui egredi à Choro soleant, dum Diuina decantantur, & in librum punctationum referre. Absentes, & infirmos sedula perscrutatione inquirat. Vt autem hoc officium meliùs exerceatur, neminique aliquid iniustè, aut remitti, aut adimi possit, volumus, vt dum in officio Punctatoris permanserit, sacris Horis, & Officijs omnibus intersit, nisi absit de eius licentia, qui Choro præsidet; quo tempore alium ab eodem Chori Præfecto probandum substituat; si secus faciat, pro singulis vicibus tarenos duos suo salario adimimus in Pauperum eleemosynam.

DE RELIQVO Cathedralis Clero. Cap. XIII.

PRæter Dignitates, Canonicatus, Personatus, & Beneficiatos, alij ex Clero conueniunt, tam Præsbyteri, quàm Diaconi, Subdiaconi, & in minoribus constituti ad diuina Officia pro psalmodia destinati, qui Choristarum exercentes officium præuidere debent, quæ intonanda sunt. Magna hi diligentia curent, ne

acu-

acuta, nimiſque grauis, ſed mediocris, plena, ac ſonora ſit intonitio; videantque diligenter, ne in vertendis chartis quandoque deficiant à canendo cum Populi offenſione, & ſcandalo. Alij verò quotidie in Miſſa maiori Celebranti Diaconorum, & Subdiaconorum munere fungantur, ſeruata tamen inter eos regula, quòd antiquior in dignitate iuniorum præcedat. Reliqui verò Dominicis, & feſtis ſingulis ſuperpelliceo induti ad maiorem Miſſam, ac Veſperas conueniant. Quòd ſi ſecus fecerint, perindè, atque non ſeruierint, cenſeantur; nec pro maioribus Ordinibus ſuſcipiendis, noſtrum ſibi polliceantur ſuffragium.

DE ECCLESIARVM Nitore, & reuerentia: Cap. XIV.

1 CVm Domum Dei deceat Sanctitudo, nemo in ea aliquid agere præſumat, quod oculos diuinæ Maieſtatis lædat. Nulla igitur in Eccleſijs ſæcularis actio, nulla rerum colloquia leuiorum, atque adeò prophana, nullę deambulationes, ſtrepitus, clamores; negotiationes, contractus nulli (ſi omni quidem tem- *pſ. 92. 7.*

pore, præcipuè verò dum Missæ peragitur Sacrificium, aut sacræ habentur conciones, atque diuina persoluuntur Officia) exerceri debent. Verùm quàm deploranda sit nostris hisce temporibus eorum temeritas, ac impudentia, qui diuinam præsentiam minoris facientes, mulierum amores, honestatem, atque elegantiam curiosiùs venantur in Ecclesijs, nemo sanę mentis est, qui non videt. Nos quidem turpitudinem hanc, & scelus sicuti egrè, grauatèque ferimus, ita nec huiusmodi homines impunitos abire nostra patietur conscientia. Propterea qui talia attentare præsumpserit, vltra diuinam indignationem, quam incurrere certò sciat, Sacrorum * Canonum, & Constitutionis Pij ** Quinti, alijsque pœnis nostro arbitratu se plectendum nouerit.

2 Sub ijsdem etiam pœnis prohibemus, ne commessationes, compotationes, ludi, esculentorum, & poculētorum venditiones fiant; ligna, coementa, saxa, nisi fuerint ad Ecclesiam necessaria, eodem modo asseruari prohibentur. Nemo fonti aquę benedictę innixus hæreat, neque in Ecclesijs dum sclopetis consistat. Spectacula, seu repræsentationes profanæ prorsus nullæ in eisdem Ecclesijs recitentur; sacræ verò iuxta præscriptam formam lib. 1. cap. 12.

* Clē. 1 de celeb miss. c. a. decet de mū. de ī mū. ecci ī 6. trid sess. 22. de obser & euitā. ī celeb.

** bul. Pij v. in cip. cum primum kal. apr. 1566

3 Totum Ecclesiæ corpus, Chorum præcipuè, tum à puluere, tum ab aranearum telis, & sordibus, perpetuò liberum, sepulchraque optimè clausa (ne quem redoleant fetorem) haberi præcipimus. Mendicis per Ecclesiam ne vagari permittatur, sed ante fores sine strepitu, & clamore eleemosynam afflagitent, alioqui mendicandi facultate priuentur. Onera, aut comestibilia per Ecclesiam nunquam apportentur, viæ, & laboris minuendi causa, sub pœna illorum omnium deperditionis, quæ Sacristis applicanda sunt. ead. bul § paupe res quoq

4 Vigiliarum prætextu, aut alio quouis titulo quempiam in Ecclesia pernoctare vetamus, siue mulier illa sit, siue vir. Quare is, cui Ecclesiæ aperiendæ, aut occludendæ cura commissa est, licèt sint Confraternitatum Rectores, decem aureorum pœnam exoluant, si id permiserint. Quapropter, vt profana omnia, & indecora, quæ in Ecclesijs aliquando committi solent, prorsus euitentur, præcipimus, vt omnes Ecclesiæ (Parochialibus, & Sacramentalibus exceptis) à meridie, vsque ad vesperas fores habeant occlusas, nisi vel alicuius Sancti in illis Ecclesijs festus dies celebretur, vel expositæ sint quadraginta horarum orationes, vel eo tempore,

 quo

quo missæ, & alia diuina habentur Officia; sub pœna aureorum quinque, aut carceris arbitrio nostro. De Ecclesijs Monialium suis disponetur locis. Parochiales verò, dato Salutationis Angelicæ signo, claudantur; si secus factum fuerit, eamdem pœnam exoluant Parochi, & Sacristæ carceri deputabuntur.

5 In ijsdem verò Ecclesijs, seu Oratorijs, nullo pacto volumus pueros grammaticam edoceri, sub pœna aureorum quinque à Ludimagistris exoluenda. Si campanæ conflandæ erunt, non conflentur in Ecclesijs, nec fabrile opus aliquod fiat, nisi alibi in eiusdem Ecclesiæ vsum, fieri non valeat. In atrijs verò, & vestibulis Ecclesiarum, nec pila ludere, nec choreas ducere, nec alia agitare spectacula, aut venale quicquam proponere quisquam audeat, sub pęna arbitrio nostro infligenda. Sacrorum lapides ædificiorum, coementum, & reliqua omnia, quæ Deo, semel consecrata fuere, cum ad profanum vsum (ex Canonum pręscripto) conuerti nequeant, nemo illis absque nostra facultate vti pręsumat, & cum illa profanari permissum fuerit, nequaquam ad sordida construenda adhibeantur.

c. quo se mel. 19 q. 3. trid sess. 21. de refor c. 7.

6 Sacræ vestes, & ornamenta, quæ Ecclesiæ dedita sunt, nullo pacto laicis commenden-

tur

tur quouis prætextu, ſub pœna aureorum decem ab illis ſoluenda, qui ea commodauerint, eidem Eccleſiæ applicandorum, quorum quarta pars Fiſco reuelanti approprietur.

Campanilis, & Organi ianua omninò clauſa ſemper ſit; quod ſi quouis caſu, etiam per obliuionem Sacriſta, vel Organiſta hoc neglexerit, menſem integrum carceri deputamus.

In Parte ſuperiori immediatè ſuper capellas, ſeu altaria nullum ſternatur cubiculum, aut cœnaculum, aut locus ſit, quo dormitum, vel habitatum, vel quidpiam profanum exercitum ire poſſint.

7 Tectum ex omni parte ita integrum ſit, vt non imbrium modò vim arceat, ſed ſtillicidia etiam prohibeat.

Feneſtrę vitro, vel ceratis telis ad hyemem, æſtatemque defendendam muniantur. Parietes ſolidis firmati fundamentis dealbentur. Imagines, quæ ſquallore, ſordibuſque ſcatent, amoueantur, niſi in eis vetus aliqua reuerentia, atque Populorum vigeat deuotio.

Pauimentum, vel ſolido lapide, ſi fieri poteſt, vel æquis ſaltem laterculis, aut opere teſtaceo conſtruatur. In eo Dominica Crux, aut Sancti alicuius imago, neque picta, neque ſculpta

quo-

quoquomodo apponatur, ne Christianæ Religionis mysteria pedibus conterantur.

8 Vas aquę benedictę ex marmore, aut ex aliquo perpolito lapide propè ostium Ecclesiæ situetur, & aqua saltem die Sabathi omninò renouanda est.

Ostium maius extruatur è regione maioris Altaris, in cuius superiori parte, quæ exteriori respondet, illius Sancti Imaginem, cuius nomini Ecclesia Deo dicata est, insculptam, vel depictam costituant.

9 Altaria decenti ornamento sint omni tempore conuestita. Pallia eo colore ornentur, quo pro festis diebus, vel Ferię ratione opus erit. Crux cum Imagine Domini Crucifixi inter duo candelabra collocetur. Tribus item linteis sternant Altaria, in quibus Missæ sacrificium celebratur, quæ munda sint, & candida, quorum vnum ad scabellum vsque ligneum ex Altaris cornibus protendatur; reliqua verò duo saltem palmo hinc indè ab vtroque latere Altaris pendentia totum ipsum supernè contegant. Missæ Sacrificio peracto, decenti aliqua tela viridi, vel ex aliquo alio colore, corio etiam operiantur.

S. Cōgr. ap. Gauant.

Tabella Secretorum adsit in vnoquoque Altari erecta; absolutis verò Missis sub tela, map-

pa-

paue recondita deprimatur.

Quæ omnia ex lapidibus sint, vel lateribus altitudine, latitudine, & longitudine decenti *rub. miss* confecta, atque ita constructa, vt in illis recondi *c. Altaria decō* nihil prorsus queat, nisi tantùm Sanctorum Re- *secr. dist* liquiæ. *1.*

10 Altaria ea sint proportione disposita, vt Ecclesijs decorem, & ornatum potiùs, non confusionem afferant; ideóque demoliri iubemus, quæ columnis innixa, Ecclesiæ medium occupant, vel impediunt. Ea verò, quæ adeò vicina sunt, vt Sacerdotes, qui eodem tempore celebrant, mutuam sibi mentis pariant perturbationem, omninò destruantur; ijs solùm relictis, quæ decentiori loco, & structura pollent. Missarum oneribus in maiori Altari satisfiat.

Altaribus sub organis ædificatis superinstruatur tabulatum fixum ad vmbellæ formam, pictura, vel elaborato ligneo opere perornatum; in quibus verò dum celebratur, nullus omninò desuper ambulet, vel commoretur, sub pœna scutorum quinque pro qualibet vice soluendorum per Parochum, vel Rectores, aut Cappellanos, siue alios, ad quos organorum cura pertinet. Cuius quidem pœnæ tertia pars Fiscali, vel Denuncianti, reliquæ verò duæ partes ornatui

Ec-

Ecclesiæ arbitrio nostro applicentur.

11 Propè ianuas ne fabricentur Aræ; si verò fabricatę sint, ad commodiorem locum transferantur. E conspectu verò maioris Altaris, siue in pariete, qui Altare maius respicit, nullo pacto construantur, ne Celebrans illi terga vertat.

Cancellis lapideis, aut ferreis, vel saltem ligneis Altaria omnia, si commodè fieri potest, sepiantur; omnimodè verò Altare maius sic construatur. At intra cancellos præter Ministros ingredi nemini detur, quo tempore rei diuinę Sacerdos operatur.

Iuxta vnum quodque Altare sit fenestella pro vrceolis, atque bacillis in proximo pariete à sinistro latere.

c. quicunque. 16. q. 1. 12 Nulla Cappella, vel nouum aliquod Altare sine nostra facultate ædificetur, sub pœna vnciarum decem.

Cappellæ, seu Altaria de iure Patronatus, vel quę à Nobis in posterùm concedentur, cum hac clausula concessæ intelligantur, vt Patroni, vel qui de iure tenentur, debitis instruere ornamentis, & competenti redditu dotare teneantur. Quod si sex infra menses non effecerint, concessio irrita sit, & alteri concedantur.

13 Cum in Ecclesijs, ex Tridetino, Cho-

rus

rus construi debeat, vt Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèque laudetur in hymnis, & canticis, in eo lignea subsellia sint, quæ eorum numerum, qui venire debent, commodè capiant.

14 Suggestus in Ecclesijs, vbi sacra concio haberi solet, sit à dextro latere Euangelij, & in eo Christi Cruci affixi signum ad latus, quod Altare maius respicit.

15 Tormentarij bombuli, vulgò masculi, non propè Ecclesiam, sed in commoda locorum planitie, quę ab omni sit periculo, & à Populorum frequentia remota, tantùm explodantur, sub pœna scutorum quinque à Superioribus Ecclesiarum exòluenda.

DE ECCLESIARVM Immunitate. Cap. XV.

1 ECclesiarum immunitati prouidere cupientes, quæ ne dum humano, Pontificio, & ciuili iure, verùm etiam Diuino instituta est, sancimus, vt nostri Vicarij, tam Ge- *Gen. 46 Exo. 19 Trid. 25 de refor c. 20*

neralis, quàm Foranei, Ecclesias, Cœmeteria, & loca omnia sacra, iuxta Bullam felicis recordationis Gregorij Papæ xiv. quæ incipit, Cum aliàs, &c. adeò defendant, ac tueantur; vt qui ad ea loca confugiunt, ab omni seculari iudicio immunes, vim nullam patiantur. Quòd si temerè, & arrogãter seculares Ministri aliquem ex ijs locis extrahere, vel adducere ausi fuerint, notum eis volumus canonicas ipso facto pœnas incurrisse.

Trid. ib.

✠ 2 Et quamuis Ecclesia vnicuique tutissimum sit refugium, suffragantibus * Pontificijs, & ** Imperialibus rescriptis, nec ab eis possint temporales Officiales quempiam extrahere; ne tamen sub hoc prætextu Bannitis, & Criminc-rosis detur libera peccandi facultas, per præsentem Constitutionem, ipso facto eorum Ecclesias interdicimus (si Curatæ non sint) qui huiusmodi receperint Bannitos, vel alios quoscumque, qui illuc confugerint; si Nos intra triduum monere minimè curarint, vt opportunè prouideremus. Parochi verò, & Cappellani, alijque, quorum est Ecclesiarũ gubernatio, volumus, quòd vnciarum decem pœnam soluant. Si verò eius Ecclesiæ Sacrista, vel alius quicumque inconsulto Superiore hoc attentauerit, vel in campanile

** c. de-finiuit. can. reũ. c. si quis cõtumax 17. q. 4*

*** c. de his, qui ad eccl. cõfug. l. fideli.*

nile, aut in Sacristiam, aliasque Ecclesiæ ædes eadem fulcitas immunitate, illos admiserit, per semestre in exilium abigatur.

Si verò ijdem criminosi violenter in ea sese loca insinuauerint, eodem pacto, & sub ijsdem pœnis præfati Ecclesiarum Rectores, seu curam gerentes commoneant Nos, vel nostros Vicarios, qui actutum Nos teneantur, tum de prædicta Criminosorum violenta insinuatione, cùm de eorum delictis certiores facere, sub pœna vnciarum vigintiquinque.

3 Satellites quidem, qui fores custodiunt Ecclesiarum, ne Rei ab illis aufugiant, si ferentes, quæ ad victum sunt reis necessaria impediunt, easdem censuras, ac pœnas se incurrisse cognoscant, quas Ecclesiasticæ immunitatis violatores: locorum verò Vicarij sub antedicta pœna vnciarum vigintiquinque Nos statim commonere curent, vt tuto ad nostros carceres adducti iuridicè terminetur, an frui debeant, necne Ecclesiæ immunitate. Interim verò illos ex Ecclesijs, ad quas confugere, Vicarij expellere non audeant sub pœna suspensionis à diuinis ipso facto incurrenda, & vnciarum centum pijs vsibus applicanda, alijsque pœnis etiam corporalibus arbitrio nostro.

c. definiuit. 17 q. 4. l. præsenti c. de his qui ad ecclesiã confugiunt.

Bul. cęn 15. c. cle rici de iudicijs.

4 Sacros Canones libertati Ecclesiasticæ, & Clericorum immunitati consulentes, in memoriam reuocamus. Caueant propterea seculares Iudices, & Magistratus omnes, ne vllo audeant prætextu, quæsito, vel colore, quoslibet Religiosos, Sacerdotes, aut cuiusuis Ordinis Clericos, etiam prima tonsura initiatos capere, carceribus tradere, detinere, processus contra ipsos conficere, vel in suum vocare iudicium. Qui verò secùs presumpserint, tam mandantes, quàm mandata exequentes, tum etiam qui consilium dederint, excitauerint, vel auxilium præstiterint, excommunicationis sententiam in Bulla Cœnæ, à qua non nisi à Romano Pontifice absolui possunt, se subijsse animaduertant.

c. si verò de sẽtẽt. excõmũ. c. nõ minus extr. de imun ecclesi. bul. cęn. n. 19.

5 * Cum autem non Ecclesiastici tantùm, sed eorum etiam bona sint exempta, propterea excommunicationi latæ sententiæ subijcimus Exactores ** omnes, Collectores, Ingabellatores, qui datia, gabellas, & vectigalia directè, vel indirectè ab eis exigere ausi fuerint, à qua nullo pacto absoluantur, nisi integrum omnia restituerint, & conuicti, vncias viginti à Nobis pijs applicandas operibus exoluant, præter alias pœnas, etiam corporales arbitrio nostro exigendas.

c. nõ minus de immũ. eccl. c. aduersus cõsules eod. tit. c. cleric. de imun. eccl. i 6 trid sess. 25. c. 20 de refor. ** bull. cęn. n. 18

Qui

Qui Clericis cariùs, quàm cæteris alijs, in odium, vel læsionem Clericalis immunitatis publicæ venditioni exposita vendunt, auarè deficientes quantitatem, aut numerum rerum, quas Ecclesiastici emere necesse habent, pœnam excommuniationis se inijsse cognoscant. *c. nō minº extra de ĩmũ. eccl. c. cleri. de ĩmũ. ecl. in 1.*

6 Considerantes item, quod Ecclesiarum bona maxima ex parte aliquando diminuuntur, eò quod nonnulli rerum Potentes illa occupare, vsurpare, destruere, & dissipare audent, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipimus tum dictis, qui res Ecclesiæ ex iniuria circumuenerint, vt duos infra menses restituãt, tum ijs, quibus hæc certò apparent, vt occupantium, vsurpantium, & dissipantium nomina ad ad Nos infra idem tempus secretò saltem transmittant. *trid. sess 22. c. 11 de refor c. attendẽdũ est q. 4. c. qui rapit 17. q. 4. bul. cęn. ex com. 17. c. cõquestº de foro cõpet. c. significast extra de foro cõp*

7 * Nullus Clericus audeat suo Ecclesiastico foro renunciare, vel ante secularem Iudicem sistere, testimonium dicere, vel causas quascumque ciuiles, vel criminales agere, nisi in casibus à iure permissis, quod quidem non sine nostra licentia in scriptis obtenta, sub pœna vnciarum sex. **c. si diligẽti de for. cõp. **c. nullus cler. vel diac 11. q. 1.*

8 Cum autem Ecclesiasticæ iurisdictioni necessarij quam maximè sint ministri ob diuer-

sa exercenda munia, euenit aliquando vt nec debeant, nec possint Ecclesiastici; idcirco sub excommunicationis latæ sententiæ, & alijs arbi-
c. nullus cit. bul. cęn. dñi n. 15. 19 trio nostro pœnis mandamus, ne quis secularis Iudex contra tales aliquid agere præsumat; vel eos in carcerem conijciendo, vel in iudicium vocando, vel aliquo alio modo contra eos procedendo, sed ad Nos eorum velit causam remittere iuxta canonicas sanctiones.

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Sicut determinati temporis moram, non patiuntur mala, & controuersiæ, quæ ex bannitorum, & criminosorum refugio ad Ecclesiam, ferè semper oriuntur, si celeris notitia Nobis daretur, facilè, & opportunè prouideremus; itaque mandamus, vt quàm citiùs possint Ecclesiarum Rectores Nos moneant de prædictis, temperantes verò antiquas pœnas, sciãt se illas ad nostram sententiam incursuros.

DE ECCLESIIS *Campestribus.*

Cap. XVI.

ECclesias in agris, & vijs procul ab oppidis religioso cultu, quoad fieri potest, volumus obseruari: proinde fores ipsarum, in quibus

bus nullus habet minister, occlusæ semper detineantur (nisi dies agitur festus Sancti illius, cui sacræ sunt ædes) ne animalibus, & facinorosis hominibus indecenter pateant. Cæterum claudantur, & in ipsis ianuis paruula efformetur fenestella cum crate ferrea, per quam Beati imago conspiciatur à prætereuntibus ad preces fundendas. Altare verò sit taliter depictum, vt pallio, & mappis circumuestitum videatur. Beneficiati proinde, seù qui earum fortasse fructibus aluntur de prædictis curam gerant: si neglexerint suorum beneficiorum fructus sequestrentur. Quod si tenues, vel parui fuerint momenti; Vicarij foranei ex pœnis non seruantium dies festos, vel ex fidelium eleemosinis (è nostra tamen scientia, & mandato) id præstare conentur. De his autem, quæ derelictæ, & iam collapsæ commodè instaurari, vel tuto custodiri non possunt, Nos moneant duos infra menses, vt quid faciendum sit statuamus; si secus factum nouerimus, vnciarum decem pœnam dabunt.

rub. mis rom.

trid. sess 21. c. 7.

Additiones, & variationes.

Si in quacumque Ecclesię fundatione prouidentèr curandum est, vt competens dos assignetur; multò magis requirenda pro Ecclesijs

Cam-

Campeſtribus, quæ vtpotè remotiores à Fidelium oculis minoribus ſuccurruntur ſubſidijs eleemoſynarum, earumque cura laborioſior Beneficialibus eſt. Quare nulla Campeſtris Eccleſia in poſterùm erigatur; niſi à Fundatore aſſignentur vnciæ ſex annuales, quarum duæ ſint liberæ, abſque onere Miſſarum pro Beneficiali, & reliquæ quatuor pro fabrica, & iugalibus inſeruiant.

DE SACRISTIA
Cap. XVII.

1 VNaquęque Eccleſia Sacriſtiam habeat, ſi commodè fieri poteſt, quæ laicorum frequentię pręcluſa, Dei miniſtris tantummodò pateat. In ea ſit armarium ſaltèm vnum, vel veſtiarium, pro conſeruandis indumentis ordine diſpoſitis, iuxta colorum varietatem. Paruum pariter altare, ſupra quod alterum armarium paruum conſtruatur, in quo aſſeruentur (ſi quæ ſunt) Reliquiæ Sanctorum; quas cum ſolemnis aliqua celebritas in Eccleſiam, vel in proceſſiones circumferendas expoſcerit, ſaltèm per Clericum in Sacris conſtitutum, luminibus accenſis deferri decet.

Ge-

Genuflexorium præterea decenti loco, ac separato collocetur, in quo Sacerdos ex tabella, in qua descriptæ sunt preces ad præparationem missæ, & gratiarum actiones deuotè recitandi occasionem nanciscatur.

c. nõ liceat cuilib ex lectorib. dist. 23. cum gloss. v. portare.

Nouissimo loco adstruatur etiam in prædicta Sacristia fons, seu lauatorium, vt ante, & post missam Sacerdotes manus lauent cum manutergio mundo, vel si plures fuerint Sacerdotes, duo adhibeantur manutergia, quæ saltem semel in hebdommoda mutentur.

miss. rõ. Innoc. 3. l. de mistē. miss. c. 49.

✠ 2 Nullus in ea inanibus colloquijs, nugis, cachinnis perstrepat; cum Sacristia, in qua Sacerdotes induunt sacras vestes, vterum * Sanctissimæ Mariæ Virginis, in quo Christus sacra se carnis veste induit, apprimè significet.

*c. in loc. 5. qu. 4. Innoc. 3. loc. cit. * ratiõ. l. 1. c. n. 38.*

In Ecclesijs, seu Oratorijs, & Confraternitatibus Sacristiam Confratres condere omnimodè volumus, in qua ad processiones, seu ad alia munia saccis induantur: ad Missæ verò Sacrificium paramenta conficiant colorum item varietate distincta.

3 In Sacristijs verò Parochialium Ecclesiarum hæc adsint; Primò paramenta omnium colorum pro temporum varietate adhibenda; calices saltem duo cum suis patenis; Crux, si fieri

poteſt, quę ſit argentea, vel deaurata ſaltem cum haſtili depicto, quæ in proceſſionibus, & exequijs adhibenda erit: thuribulum cum nauicula, & cochleari ex argento, amictus, albæ, cinctuli; pluuialia ſaltem duo, albi vnum coloris; alterum violacei pro benedictionibus & proceſſionibus; ſint quoque purificaroria, vela pro crucibus, & calicibus variorum colorum, burſæ, corporalia plura, nitida, & candiſſima.

Vbi autem nonnulla ex dictis de ſacra ſuppellectili deficiant, mandamus, vt quatuor infra menſes omnia omnino adimpleantur in Parochialibus ſub pœna vnciarum decem exoluenda, à quibus ea fieri debent; reliquæ verò Eccleſiæ interdicto ſubdent. Sacriſtia vbi non eſt extructa, infra annum ædificetur, ſub eadem pœna.

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Eccleſiarum Rectores Parochi, & alij adminiſtratores quocunque nomine appellantur, conſtanter inuigilent pro obſeruantia earum, quæ in verſiculo, nullus in ea, id vt facilius obtineant; Sacriſtas grauent pęna vnciarum duarum, ſi opportunè monere de tranſgreſſoribus minimè curauerint.

DE DIVINIS Officijs Cap. XVIII.

1 TAm in nostra Cathedrali, quàm alibi in Diœcesi, vbi in Choro diuina in dies decãtatur psalmodia, infra mensem conficiatur tabella in Sacristia affigenda, qua singulis mensibus ad matutinum, & reliquas horas pulsari debeat campana; cuius executionem in Cathedrali, Vicario Ecclesiæ, in Diœcesi verò Chori Præfecto, vel ad quem attinet demandamus.

Absoluto vltimo campanæ signo vulgo (il secondo) in Sacristia superpelliceum quisque induat suum; quo facto, modesto oris habitu incedens ante Sanctissimum Sacramentum prouolutus in genua paulisper oret, vel coram maiori Altari profundè,& reuerenter se inclinet, Chorum deinde ingrediatur; & si quos esse in stallis videt, hinc inde detecto semper, & inclinato capite salutet.

2 Ad officium piè, & religiosè decantandum, annuente maiore, seù Chori Præfecto, consurgant, cum Hebdomadarius clara voce

initium officij pronunciat. Omnes ergo, qui ſe
Diuinis myſterijs dicarunt, ſciant laudis ſacrifi-
cium Omnipotenti offerre, per quod iter oſten-
ditur ad ſalutare Dei. Attentè ergò, expreſsè,
pſ. 49. 13. & articulatim, integra, non trunca, vel extre-
mis ſyllabis ſuffocata verba pronuncient; nec
c. dolẽtes curſim, & perturbatè, ſed punctatim, grauiter,
de celeb miſſarũ. atque alternatim voce alta recitent, & canant.
Clem. 1 Dum Gloria in excelſis, & ſimilia Cantores in
de celeb miſſ. organo canunt, priuatim etiam recitentur in
Choro.

✠ 3 Inſuper vnuſquiſque in Choro ſedendo
c. 1. de maior. ſuum proprium ſtallum teneat eo ordine, quo
& obed. infra de Proceſſionibus dicetur; in quo nemo
flabello, chirotecis, pallio, aut galero vtatur; ne-
mo locum mutet. Standi, ſedendi, flectendi ge-
nua, inclinandi, & aperiendi caput pro tempo-
re, & officijs ratio enixè habeatur; colloquia,
c. decet riſus, rixæ, litterarum, & ſcripturarum lectio ar-
de imm. ceantur; nec quiſquam priuatim recitet, dum ab
eccl. in 6 *Clẽ. 1. de* alijs diuina aſſoluuntur officia, alioquin in pœ-
cel. miſſ. nas à iure ſtatutas ſe incurrere certò ſciat. Secu-
& d. ſt. 37 lares in Chori ſtallis Sacerdotibus, & Viris Ec-
c. turbatur. c. 1. cleſiaſticis dicatis, tantiſper dum recitantur of-
de vita, ficia, vel ſacra habetur concio, nullo pacto ſede-
& honeſt. cler. re præſumant, id quod potiori iure ſentiendum
eſt

est de mulieribus cuiuscunque sint prerogatiuę, aut conditionis. *c. sacerd de cōsec dist. 2.*

4 Choristæ, qui in Chorum ministrandi causa conueniunt, sedulò muneri incumbant suo, libros parent, maturèque omnia disponant ne perturbatio, aut hæsitatio in quærendo irrepat.

A Punctatoribus absentium, vel debito tempore non accedentium, districtè adnotentur punctationes, eo consilio, vt inter præsentes distribuantur; si quid fraudis hi commiserint, restitutioni sint obnoxij.

Absoluto officio, non nisi dato à Chori Præfecto signo, ab eo discedere liceat nemini: modestè deindè se inuicem salutent, & egredientes maioribus locum vsque concedant.

5 Vbicumque missas decantandi opus erit, siue in Choro, siue extra de tempore, vel votiuas, aut etiam pro Defunctis, omnes de Clero, qui interesse voluerint, cum superpelliceo assistant, aliàs distributionibus Missæ illius priuati, tarenos 12. soluant, quorum medietas Alario capienti, reliqua verò pars Sacristiæ eiusdem Ecclesiæ acquiratur. Choristas etiam signet, si dum organa silent, Introitum Missæ eodem modo; quo antea non repetunt, vel graduale, & sequen-

quentis, integrè post Epistolam, dum à Celebrante recitatur, in Choro cantu, qui dicitur firmus, seu planus, in finé vsque nō prosequūtur.

6 Confessarius, dum sacra concio in Ecclesia habetur, in confessionarijs nullus ad audiendas confessiones sedeat, sed Pęnitentes dimittat. Nec eodem tempore sacra ministretur Eucharistia, sed interim vasculum Sanctissimi Sacramenti in tabernaculum reponatur, quamplures enim dum communicant ab auditione verbi Dei retardantur, è quo ad frequentanda Sacramenta sepè sepiùs excitari videntur.

Additiones, & variationes.

Ad num. 3. Tempore Sacrificij sollemnis, officiorum, concionis, & processionum nulli Laicorum liceat Chorum introire, etiam si sint habitu Confraternitatis, aut Societatis induti, & corpus morale conficiant, non obstante quacunque consuetudine, quem abusum declaramus sub pœna excommunicationis, & alijs arbitrio nostro. Ex Ecclesiasticis verò nullus (Regularibus exceptis indutis suo proprio habitu) sine superpelliceo, alijsue insignibus pręedictis temporibus illuc accedat sub pœna à Nobis beneuisa; Chorus ne pateat omnibus, vbi fieri potest, artificiosis repagulis claudatur.

DE PROCESSIONIBVS
Cap. XIX.

++ 1 PRocessiones ad mitigandã Dei iram, eiusdemque beneficia impetranda, & pro impetratis gratias agendas institutæ, omni, quo decet cultu, & reuerentia perficiantur, omnesque auferantur abusus. Nullas igitur, quàm à Cathedrali, vel à cuiusuis loci maiori Ecclesia proficisci patimur, nisi Nobis aliud videatur, aut antiquæ, & laudabili consuetudini deferendum sit. *c. rogationes de cõse. dist. 3.*

Nullus Clericus tam secularis, quàm regularis, ex Concilij Tridentini Decreto, ad generales processiones venire recuset, Clerici seculares cum superpelliceis, sine galero, aut pallio procedant bini, grauiter, & modestè, neque huc, atque illuc oculos conijciant, colloquijsque omnino exclusis, & omissis curiositatibus; psalmis, hymnis, & reliquis sacris precibus dent operam, memores se coram oculis Supremi Numinis cuncta cernentis Angelicis admistos agminibus interesse. *trid. sess. 25. c. 13*

Ad hæc in ijsdem processionibus Digni-

tates

tates Canonicis, Canonici Beneficiatis, isti Pres-
ca.1.de maiorit. & obed. byteris, hi reliquis ex Clero suo ordine præse-
rantur, quod item seruetur in Dięcesi, vbi vnus-
quisque iuxta loci consuetudinem locum occu-
pet suum.

2 In processione solemni diei festi, & octauæ Sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, omni, qua par est, reuerentia, solemnique deuotione conueniant, & à maioribus Cleri, vt moris est, deferatur.

Parietes viarum, per quas Augustissimũ Domini Corpus deferendum est, exornentur à Populo, qua potest diuite suppellectile, eodemque pacto Ecclesiæ sacella, & altaria. Omnia tãdem internum Christiani animi iubilum, externumque presseferant. Capitulum cereos accensos deferat; Clerus item omnis tam secularis, quàm regularis non nisi cum luminibus accẽsis festiuitatem hanc celeberrimam concomitetur sub pœna vnciarum duarum; quod idem fieri mandamus in octaua, vbi talis viget consuetudo. In alijs verò locis ad hoc pietatis opus pariter obeundum Christifideles hortamur enixiùs. Sodalitatum Confratres saccis induti, facieque obuelata, suo quisque loco bini procedant, cum cereis item accensis. In hac autem sicut & in

cæ-

cæteris proceſſionibus, grauiratem, & modeſtiam ſeruent ſub pęna carceris arbitrio noſtro.

3 Vbi per annum in Cathedrali in Vrbe, & in Matricibus, ac Parochialibus in Dięceſi, tertia, vel alia quaque Dominica cuiuſlibet menſis proceſſiones Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti celebrari conſueuerunt, eas in perpetuum aſſeruari cupientes, hortamur, vt quo decet cultu, & veneratione, Capitulum, Clerus, & Confratres ad illud conſociandum interueniant, cereos accenſos omnes deferentes, vt tanti Regis addecet maieſtatem. In omnibus item alijs proceſſionibus, quando Reliquię Sanctorum ſunt deferendæ, eas ſaltem Clerici duo, cereis accenſis concomitentur.

4 Crucem tam Regularium, quàm Secularium in proceſſionibus de more adhibendam hinc inde duobus luminaribus aſſociari volumus. Ne quis ſiue pedeſter, ſiue equeſter, vel curru vectus proceſſiones interrumpat. Officialibus verò (quorum intereſt) procedentes dirigendi cura demandatur.

Duos ante dies, quàm proceſſiones celebrentur, Archipræsbyteri, Præpoſiti, & cæteri Curati, ea omnia decernant, quę in ſupplicationibus diſponenda, & cantanda erunt, ne qua in-

tercedat confusio. Ea verò cantent, quæ communia sunt, nullas alias preces, ritus, aut cæremonias admittentes, quàm quæ in Rituali Romano præscribuntur.

5 Vbi in eis Magistratus Seculares interuenire solent, tempestiuè à locorum Vicarijs fiant certiores, & hora opportunè determinata, dummodo noctu non sit, hortamur, ne plurimùm immorentur, cum Populi hęsitatione, & incommodo.

6 Nouæ processiones, præter eas, quæ in Ecclesia tantùm in supplicationibus Quadraginta horarum fieri solent, de cætero nunquam indicatur, vel fiant sine nostra facultate, & mandato. Si aliter fuerit factum, illi, de quorum mandato processio fuit indicta, pęnam suspensionis à diuinis ipso facto, nec non & alias arbitrio nostro expendant.

7 Processiones duæ de Sanctissimo Sacramento, in quauis Ciuitate, seu Oppido, eodem die fieri nullo modo permittatur, nisi ante meridiem vna, alia verò post vesperas habeatur. In alijs verò processionibus generalibus, ex Vrbis, & locorum consuetudine fieri assuetis, Vicarij per edictum peculiare congruenter prouideant, vt omnes Clerici piè, deuotèque ad augendam

Gre. 13 bul. quę inci. Cũ interdũ. 1. mart. 1573

Populi deuotionem interueniant.

Additiones, & variationes.

ad num. 1. Vt ordinatè, ac deuotè incedat processio, vltra Fiscales, & Aerarios arcentes turbas, designet Vicarius binos de Clero, qui ordinent incedentes.

Circa directionem, & designationem viarum processionum, nullus Laicus audeat se intromittere. Omnibus repugnantibus iuribus, quapropter non sine maximè ratione, Prædecessoris nostri multas, & varias promulgarunt ordinationes, & decreta, de quibus illud vnum Illustrissimi, & Reuerendissimi Fratris D. Francisci Mariæ Graffeo anno 1694 visum est Nobis hìc inserere, & omnibus notum sit, & inuiolabiliter seruetur, cuius tenor talis est.

Solius autem cura sit Episcopi publicas, & extraordinarias processiones indicere, priuatas verò in Vrbe, de Capituli Consilio, quod per Diœcesim minimè accedat, necesse est; ita pariter earum directio, viarumque, & locorum designatio ad Nos, nostrumque Generalem Vicarium in Vrbe, Foraneosque per Diœcesim, non autem ad Seculares Magistratus [quacumque etiam peruetusta obstante cõsuetudine] ne dum Sacræ Congregationis Decreta, plurimaque re-

ſponſa, verùm etiam Supremorum huius Regni Tribunalium pro Fiſco Magnæ noſtræ Curiæ Epiſcopalis res iudicatæ demonſtrant.

Quapropter ſtatuimus, & ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipimus omnibus, & ſingulis noſtrę Diœceſis Ciuitatum, & quorumcumque locorum Præfectis, Gubernatoribus, Iuratis, Rectoribus, & Magiſtratibus Secularibus, ſiue Laicis, ne in proceſſionibus dirigendis, vijſque deſignandis noſtrorum Vicariorum arbitrium limitent, impediant, aut coarctent; nec ab eis actus ſubmiſſiuos, quos conuenientia vocant, etiam vrbanitatis titulo, extorquere, petere, aut exigere attrectent, vel quouis modo præſumant; nec à prædictis Magiſtratibus noſtri Vicarij, vel eorum locum tenentes, veniam, licentiam, & facultatem circa proceſſionum directionem, & viarum deſignationem, quouis pretextu, vel quęſito colore, etiam conuenientiæ, vel vrbanitatis gratia petant, aut expectent: ſi ſecus ſecerint, excommunicatos ipſo facto enunciamus.

ad num. 5. Determinatam horam proceſſionis intiment Vicarij omnibus, quorum intereſt interuenire, det etiam notitiam de illa Magiſtratibus ſecularibus, vbi interuenire ſolent.

lent. Elapsa verò hora designata, curet Vicarius sub pœna vnciarum viginti, vt statim exeat processio, & ab illis, qui non interfuere, exigat solitam pœnam. Insuper sint cauti circa prædictam horam designandam, vt de mane ante ortum Solis processio nunquam exeat, & de serò finem habeat ante, vel paulò post Salutationem Angelicam, sub eadem pœna.

DE REBVS ECCLESIAE non alienandis.

Cap. XX.

1 INdemnitati Ecclesiarum consulere, & quantùm in Domino possumus fraudibus occurrere cupientes, tam ex Sacris Canonibus, quàm ex Tridentini Decreto, mandamus Ecclesiastica bona ne dum alienanda non esse, verùm etiam diligenter conseruãda. Quare Rectores omnes, & Superiores quarumcũque Ecclesiarum, tam curam Animarum habentium, quam non, Cappellaniarum, Oratoriorum, & aliorum piorum locorum (assumptis aliquibus probis viris ex antiquioribus, & peritis de Parochia, vel extra, qui de rebus Ecclesiæ sint benè instructi) libros duos constituant; in primo *c. nulli de reb. eccl. nõ alienãd. c. si quis presb. eod. tit. tri. sess. 22. c. 1.*

in-

inuentarium rerum omnium, & bonorum Ecclesiæ conficiatur, tam mobilium, quàm immobilium, etiam pignoratorum, singillatim ea adnotando. In secundo verò inserantur, & seruentur omnes scripturæ, tam publicę, quam priuatę, actus, contractus, donationes, testamenta, & omnes alij actus spectantes, & pertinentes ad bona omnia immobilia, vel prætiosa mobilia dictarum Ecclesiarum. Describendo insuper in libro prædicto adnotationes alienationum, bonorum prædictorum, si quæ sint factæ, vel fieri contigerit, & de cuius licentia hoc factum, vt Ecclesiæ detrimenta reparemus. Qui quidem libri duos infra menses proximè futuros à die publicationis harum Constitutionum perficiendi, originales, penès quem spectant, diligenter conseruentur. Qui in his inobedientes inuenti fuerint, pœnam viginti quinque aureorum soluant.

2 Præcipimus item, & mandamus omnibus Ecclesiasticis, qui in futurum Ecclesias, Cappellanias, Oratoria, aut Beneficia Ecclesiastica curata, vel non curata obtinebunt, vt infra duos menses, à die adeptę pacificæ possessionis, inuentaria, modo, & forma pręmissis, conficere debeant, vel confecta reuisant, confinia, eorum-

que signa, seu guardiolas reficiẽdo, & designando. Inuentarijs se subscribant, & transumptum ad Magnam Episcopalem Curiam transmittant. Quod si in visitatione adimpletum minus visum fuerit, eadem, qua supra, atque alijs pœnis nostro arbitrio plectentur. Si verò dedita opera malitiosè in prædictis inuentarijs tam circa mobile Ecclesiæ, quàm immobile quicqam omiserint, aut occultauerint, eo ipso excommunicationis sententia innodatos esse declaramus.

3 Omnibus Ecclesiarum Rectoribus, cuiuscunque status, & conditionis sint sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, atque alijs de iure impositis in extrauaganti ambitiosæ, Concilio Tridentino, ac Bulla Sanctissimi Domini nostri Vrbani Papæ Octaui contentis, præcipimus, ne in posterum bona earum immobilia, vel pretiosa mobilia ad emphyteusim concedere, vendere, permutare, vel vltra triennium locare, alioquè quouis modo, & titulo directè, vel indirectè alienare audeant, nisi seruatis sacrorum Canonum Decretis, & nostra licentia obtenta. Quod si aliquando ex dispensatione Pontificia alienandi facultas fuerit concessa, tunc in scriptis Nobis notam mittant, designando bona, & exprimẽdo situationes, men-

extrau. ãbitiosę de reb' eccl. non alien. Vrb. 8. ĩ bul. incbum. salutis. 17 ia. 1626.

su-

ſuram, vocabula, confinia, nec non conuentiones, & pacta quęcumque inter contrahentes inita, vel ineunda, vt rectè, & maturè omnia diligenter inſpicientes, ſi in euidentem Eccleſię vtilitatem ex teſtibus idoneis, peritis, & iuratis ceſſerit, quid deliberandum ſit ſtatuamus. Quę quidē forma niſi obſeruetur, Rectores pœnis pecuniarijs, ac etiam corporalibus acriter afficientur.

4 Notarij contractus hos celebrantes ſine ſolemnitatibus neceſſarijs, pœnas arbitrio noſtro dabunt. Prædictos autem contractus etiam iuramento roboratos, eo ipſo nullos, & irritos declaramus. Alienatęque res, & bona ad Eccleſias, vel pia loca, ad quæ ante alienationes pertinebant, reducantur.

5 Verùm quia in noſtra hac Dięceſi compertum eſt facultatem alienandi bona tenuija, etiam immobilia ex cap. Terrulas permiſſam, ad quantitates longè, quam inibi conceſſum eſt, extēſam fuiſſe. Idcirco exceſſum huiuſmodi moderantes, volumus, quòd vbi primùm de euidenti conſtet Eccleſiæ vtilitate, aliæque ſint ſolemnitates expletæ, eæ tātùm alienationes concedantur, quæ ſummam vnciarum quadraginta non excedant, ſi ſecus fiat, nulla omnia declaràmus.

c. Terrulas. 12. q. 2.

Ne

6 Ne verò temporum iniuria, decursu, aut vetustate, diuersisque Rectorum mutationibus, & humana malitia Emphyteoticorum, Censualium, vel Bullariorum contractuum memoria deleatur, in graue Ecclesiarum, piorumque locorum dispendium, ac præiudicium, mandamus, vt super huiusmodi rebus in emphyteosim, seu censum bullarem post hęc concedendis, & pro indemnitate Ecclesię, in conuentionibus, & pactis inter contrahentes, expresse apponatur in instrumento, quod ad proximos nouem annos renouatio, seu recognitio fieri debeat, designando, & exprimendo mensuram, situationes, qualitates, fines, ipsorumque confinium signa, quæ vulgò nuncupantur (guardiolæ) & moderna vocabula per publicum instrumentum, sub pœna caducitatis [monitione præmissa.] Quòd si secus contractus celebrent, tamquam non seruata forma, nullos, & irritos esse decernimus, & declaramus.

✠✠ 7 Locationes rerum stabilium Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum summam vnciarum duodecim excedentes, proclamentur primùm per tres præcedentes dies festos, deinde ponantur publicè ad incantum, vt dicitur (à quattro voci,) & inde plus

efferenti concedantur, nisi aliter Nobis pro Ecclesiæ vtilitate visum fuerit. Quæ quidem locatio triennium non excedat.

++ 8 Expensæ magnæ, videlicet pro fabricis, sculpendis, aut pingendis nouis Imaginibus, pro paramentis pretiosis, vel eiusdem coloris multiplicandis, & similibus peragentis, nullo pacto absque nostra consultatione fiant.

9 Nullo item modo liceat transigere, aut quoquo modo se componere, bona obligata eximere, aut liberare, nec lites [magna salaria deputando] exordiri, sine nostra pariter præuia facultate; aliter actus ipso facto nullos decernimus.

Additiones, & variationes.

ad num. 7. Cuiuscumque summæ sint locationes de rebus immobilibus Ecclesiarum, non conficiantur oretinus priuatoue chyrographo, sed publici Notarij instrumento, ad hoc vt mutatione temporum, & personarum possint Ecclesiæ sua iura, breuiori, & securiori via experiri. Officiales, ad quos pertinet, si id facere neglexerint, ipso facto sunt subiecti pœnæ soluendi de proprio, omne prætium cum interesse ex eorum inobedientia secuto.

ad num. 8. Declaramus expensas magnas esse

esse, quæ summam vnciarum decem excedunt.


Seriò perpendentes causas, ex quibus paupertas Ecclesiarum, Hospitalium, Mōtium pietatis, aliorumque piorum locorum orta est, nouimus prouenire ex inconsiderata, & insubsistenti capitalium, vt vulgò dicitur (applicatione.) Pro nostri ergo Pastoralis Officij parte huiusmodi causam pœnitus eradicare cupientes, mandamus omnibus Rectoribus, Pręfectis, Gubernatoribus, Administratoribus, & alijs Officialibus, quorum interest, vt in applicatione capitalium hæc inuiolabiliter seruent. Curent diligenter, vt inueniant applicationem, qua inuenta, seriò discutiant inter se, an applicatio sit tuta, & sufficiens. Facta hac discussione, si illam sufficientem, tutamque iudicabunt, consulant Aduocatum, qui sit ex melioribus Ciuitatis, eique scripturas omnes afferant. Aduocatus verò, perdiligenter lectis, & consideratis scripturis det votum suum, & habito affirmatiuo voto ipsius, aduocati tunc deueniant supradicti Rectores, & Officiales, vt supra ad formationem minutæ, quam sedulò recognoscet ipsemet Aduocatus. Insuper prædicti Rectores, & Officiales exigant fidem ab Aduocato prędicto, in qua hic attestetur vidisse scripturam, & ad-

esse cautelam sufficientem, & tutam pro Ecclesia. Requirant etiam Rectores, & Officiales prædicti, & exigant à petentibus pecunias applicandas, fides omnium Detemptorum librorum, qui Detemptores testare debent, an petentes sint, vel ne, & in qua summa Debitores Ecclesijs, cæterisque operibus pijs. Denique omnes supradictas fides Aduocati scilicet, & Detemptorum vna cum minuta, & scripturis ad Nos mittant pro nostro Publicetur, & obtentis literis à nostra Cancellaria in forma solita tunc deueniant ad publicationem. Hæc omnia præcipimus sub pœna in casu controuentionis in vnoquoque dispositorum ipsis prædictis Officialibus priuationis ipso iure, & ipso facto suorum officiorum absque vlla citatione, in quo casu electio ad Nos deuoluta censeatur, & priuati non possint amplius ad prædicta officia concurrere. Depositarius verò publicus, aut priuatus, quicumque sit, soluens pecuniam absque dicto nostro Publicetur, sit etiam in pœna bis soluendi. Insuper inualidam, nullamque declaramus huiusmodi applicationem, & Ecclesia, siue locus pius, agere potest pro restitutione pecuniarum, tam contra dictum Depositarium, quàm contra recipientem. Notarius verò,

rò, qui minutam publicauit, sit in pœna soluendi vncias viginti. Minimè tamen tollimus Vicarijs locorum facultatem cum voto, & consilio sui Assessoris apponendi Publicetur, reinuestimento, seu minutæ, quoties non excedat summam vnciarum viginti quinque, dummodò non procedat ex maiori summa, nec diuidatur in fraudem supradictæ ordinationis.



LI-



LIBER QVARTVS

DE DISCIPLINA Ecclesiastica.

INter grauissimas sollicitudines, quibus prę-muntur ij, qui Animarum procurandæ saluti incumbunt ea in primis occurrit, vt his præcipuè, qui à rebus seculi in altiorem sublati locum, hæreditas Domini facti sunt, vitæ, & animi integritas, externus habitus, vestitus, omnisque conuersatio congruat, dicente Apostolo: Vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Quæ igitur de ecclesiastica disciplina augenda à Summis Pontificibus, atque à Sacris Concilijs sancita fuerunt, in vsum reuocari, & adimpleri curantes, hæc selegimus proponenda.

2. Thess. c. 3.

DE

DE VITA & honestate Clericorum. *Cap. I.*

ANimaduertant primò Clerici in sortem Domini vocati, se esse Ministros Christi, Pastores, & Populi Doctores, ad quorum exemplum Populus Christi sanguine redemptus sese componit.

1 Omnes ergo tam in sacris, quàm in minoribus Ordinibus constituti, quacumque sint dignitate, personatu, officioue præditi, vel ecclesiastico beneficio gaudeant, habitum, & Clericalem tonsuram deferant. Vestis vsque ad talos demissa dignitati cuiusque conueniens, ac decens sit, nigrique coloris, nihil, aut parum à ceruicibus in tergum reflexa, sed collo decenter adstricta. Nulla sit arte elaborata, nec indecenti subuestita colore, eaque potius lanea, quàm serica desideratur, non sordida, sed munda, vt Domini decet Ministros. Calceamenta pedum nigra sint; pallium sit ita oblongum, vt omnino cum veste congruat, non complexum more laicorum petulantium, & altero sub brachio complicatum, sed super vtrumque humerum compo-

c. Clerici offic. de vita & honest clericor. c. Cleric offic. cit. trid. sess 14. de refo. c. 6 Sist. 5. in bull. Cũ sacrosã-ctã. 18. iã. 1589

positum, quo grauitas, & Clericalis modestia omnibus innotescat; ad iter verò peragendum, breuiori veste, habituque contractiori vti licebit.

2 Pileum, seu galerum ad arcendas pluuias, cœlique iniurias permittimus; illo verò in Ecclesia tempore diuinorum Officiorum, qui illis intersunt, & in processionibus nunquam vtantur, sicut nec caligis colorum varietate fucatis, sed omnino nigris, vel violaceis, aut alterius decentis coloris; interulę, vulgò collaria, ad collum, vel ad manus nullo colore suffusę, crispatæ, nimiæ magnitudinis, vel acu artificiosè elaboratæ adhibeantur. Qui in aliquo ex prædictis non paruerit, arbitrio nostro mulctabitur.

3 Anulum, præter in Dignitate Ecclesiastica constitutos, Cathedralis Ecclesię Canonicos, vel Doctoratus gradu fulgentes, gestare nemo præsumat, sub pœna amissionis anuli, ipso facto Officiali nostræ Curiæ capienti acquirendi, nec non vnciarum quatuor locis pijs arbitrio nostro applicandarum.

c. clerici off. devit & hone. cleric.

c. ibid.

Clericalem coronam portent, capillo taliter abraso, vt ea omnibus sit conspicua, & ad eam formam, quam ratio vniuscuiusque ordinis, & dignitatis postulat: Sacerdotes non mi-

no-

norem, aut Clericis coęqualem, sed saltem ad aurei vnius argentei formam.

Comam, & barbam ne studiosè nutriant laicorum hominum more compositas, quia turpe satis est, Dei famulos, & ministros, quo tempore orationi vacare deberent, muliercularum impudentium more, ad cincinnos capitis calamistrandos operam nauare, prohibēte Apostolo. Qui in hoc deliquerit, à Nobis impunis non abibit, *c. ibid.*

3 Nullus Laicus clericalem habitum absque nostra facultate assumat, vel assumptum gestet, sub pœna vnciarum sex. Quod si in prima Tonsura, vel in quatuor Ordinibus fuerit constitutus, non dimittat nisi ex nostra item licentia, & actus in nostra Curia de dimissione ipsa conficiatur; si secus fiat, vnciarum sex pœnam soluet; quòd si sine nostra licentia prædictum habitum reassumpserit, pęnam vnciarum quadraginta soluet.

Ad primam Tōsuram promoti infra mensem à die eius susceptionis habitum teneantur assumere, quo elapso, non nisi noua à Nobis venia impetrata, illum induant.

Data iam secunda noctis hora, non nisi ex iusta causa, domo exeant. Qui verò per vicos,

& compita Ciuitatis, muſicis inſtrumentis, canendo, pulſando, & immodeſtè perſtrependo deambulauerint, pœna vnciarum decem, & amiſſionis inſtrumentorum punientur.

4 Arma Laicis prohibita, etiam Nos Clericis cuiuſcumque gradus, conditionis, dignitatis, prærogatiuæ, & præeminentiæ fuerint, omninò interdicimus. Et quia in hoc negotio acerrimam deinceps emendationem exigemus; iuuat idcircò tormenta ænea, quæ prorſus omnia in præſenti prohibemus, non latino complecti vocabulo, ſed ea, vt vulgaris fert hominum ſermo, enunciare; in quo genere ſi plurium videbimur inſcitiæ conſulere, minus certè flagitioſorum nequitię ſeruiemus, quę ſi minus illa explicata haberet, aliquis fortaſſe, temerariæ excuſationi patere poſſet locus. c.ibid.

Chì dunque porterà ò vna, ò più dell' armi infraſcritte, cioè, la Scopettina, ò Scopettone, il Piſtolo, il Terzarolo, ò vero l' Arcabuſetto, le cui canne ſiano minori di tre palmi; ò vero porterà vno, ò più Stilletti; ſe con alcuna delle ſudette armi ſarà gionto, e preſo, incorra nella pena d' anni dieci à remigare nelle Regie galere, ò vero paghi in pena onze duecento.

Che ſe per ſorte con le ſopradette armi non ſa-

sarà preso in flagranti crimine, ma sarà (come si dice) iudicialiter conuinto; ò vero sarà trouato in flagranti, che tenga qualsiuoglia delle sudette armi in casa, si intenda essere condennato alla metà della sudetta pena, cioè, ò à remigare per anni cinque in galera, ò à pagare onze cento.

Chì porterà Soffioni, ò Scopette d'altra sorte, che auanzino la misura di tre palmi, quali armi siano fatte con artificio à toppa di fuoco, ruota, trabocco, ò grillo, se con vna, ò più di dette armi sarà gionto, e preso, lo condenniamo à due anni di carcere, ò à pagare onze cinquanta.

Se però non sarà trouato in flagranti, ma solo conuinto d'hauerle portato, sod sfarà con anno vno di carcere, ò vero col pagare onze venticinque.

Colui che porterà Archibugio, ò Scopetta à meccio; paghi onze quattro di pena.

Quelli che saranno gionti, e presi col Pugnale, ò Cortello più d'vn palmo, incorrano nella pena di pagare onze dodeci; che se d'hauerli portato saranno solo iudicialiter conuinti, siano tenuti à pagare onze sei.

Ma quei che porteranno la Spada, ò Ci-

mitarra, siano obligati à pagare onze quattro di pena.

✠✠ Si permette però à quelli, che vanno in viagio à cauallo, di poter portare la Spada, ò la Cimitarra.

Quod omne vulgariter dictum voluimus, ne deinceps istorum hominum flagitia, patronam sibi ignauiam acclament. In omnibus supradictis casibus arma capientibus acquirantur.

5 Qui deposito clericali habitu noctu ambulauerint, vnciarum duarum; qui verò laruati, quos mascheratos appellant, si die incesserint, vnciarum quatuor, noctu verò, vnciarum duodecim pœnam dabunt.

6 Quantum omnibus obsint spectacula profana, & impudicæ comædiarum repræsentationes, ne dum Sanctorum Pontificum, & Conciliorum Constitutionibus monemur, verùm etiam Imperatorum exemplis, & Sanctionibus ab illis auertimur. Quòd si Natura ad malum sponte ruit, quid faciet his illecebris impulsa? Quapropter Nos non ignari, quantùm Ecclesię Dei officiant hæc spectacula; mandamus omnibus clericali dignitate vtcumque fulgentibus, ne vt ea recitare, vel repræsentare præsumant,

c. Clerici officia & c. Cũ decorem de vit. & honesta. clerici c. oportet de cõsec. dist. 5. c. his igitur dist. 23. c. presb. dist. 34. auth. de

sub

sub pœna vnciarum quatuor, vel carceris arbitrio nostro. Eos autem hortamur, vt neque illis intersint. *sãct. ep. §. interdicimus col. 34.*

Tabernas nullas ingrediantur, nisi fortè iter habeant, quo tempore ea, qua decet modestia, sese gerant. Si quis eas frequentare consueuerit, per mensem in carcerem conijcietur. *c. clerici offic. de vita & hon. cler trid. sess 24. de ref. c. 32*

Taxillorum, & alearum ludis, vulgò dictis (di parata) ne ludant, sub pœna vnciarum viginti. Qui verò illis spectatores interfuerint, arbitrio nostro punientur. Alij verò quoscumque ludos, cum scandalo frequentantes, arbitrio item nostro mulctam dabunt. *c. clerici vt sup. c. inter dilectos de excelsiõ prælat. c. Episc. & c. oĩa. de clericorũ venatore.*

Qui autem domos suas ad ludum expositas detinuerint, pœnam vnciarum quadraginta incurrent.

++ 7 Ab illicitis venationibus, & aucupijs prorsus abstineant. *trid. sess 21. c. 12 de refor*

++ 8 Nullus item clericali adscriptus militiæ, mercaturam faciat. Nam dum auaritia creuit, perijt lex à Sacerdote; negotia ergo omnia à sacris Canonibus prohibita, vt emere, & vendere per modum mercaturæ, vel vsuras tractare, procul absint sub pœna vnciarum quadraginta. *c. ex literis de vita & honest. cler c. cõseqẽs c. negotiatorẽ. c. fornicari. di. 88 c. inibẽd c. si quis*

++ 9 Quoniam verò qui habitant in tabernaculo Domini, non solùm ab omni impudicitiæ

actu

de cohabit. cler. & mulierũ. trid. sess. 25. c. 14. de refor. actu, sed ab omni etiam occasione, & suspicione abesse debent; idcirco præter ea, quæ de contubernio, & consuetudine mulierum suspectarum à Tridentino statuta sunt, prohibemus, ne in ædibus Clericorum fœminæ ratione ætatis, vel qualitatis suspectæ commorentur, sub pœna aureorum vigintique, & exilij extra Diœcesim ad beneplacitum nostrum.

10 Tutelas, & curatias, tamquam ab Ecclesiastico munere alienas, nemo suscipiat; nisi de nostra licentia sub pœna vnciarum viginti. c. peruenit. dist. 86

11 Cum vero indecorum sit Clericos mulierum famulatui inseruire, eas nimirum manu ducendo, vel associando, etiam si nobiles fuerint; propterea ab hac seruitute abstineant suæ dignitatis, & excellentiæ memores.

Pius V. in bulla q. inc. cũ quimagis 3. nouẽb 1570 Monetas quoquo modo falsificantes, tondentes, aut colorantes, pœnas à sacris Canonibus, & Bulla Sanctissimi D. N. Vrbani Octaui se incurrisse sentiant.

Vrb. 8. i bull. In suprema 8. ianua 1628 12 Si quis Ecclesiasticorum cuiusuis Ordinis, & dignitatis ille sit, per se, vel per alium ad perditorum hominum, & latronũ compositiones tractandas commercio se immiscuerit, vel cum eis in his aliquod communicarit, ipso facto excommunicatum declaramus, omnique

offi-

officio, & beneficio priuatum dicimus; triremibus, vel carceri per decennium eum deputantes, attenta personæ qualitate.

Receptatores item Bannitorum, & furtum pœnis arduis plectemus, & si furta in Clericorum domibus inuenta fuerint occultata, eamdem, quam fures respectiuè, pœnam subeant.

13 Inter cætera sanè, quibus à splendore suo facies Ecclesię cernitur immutata; illud maximè dolendum, quòd Clericorum ordo nimium videtur deliquisse, qui ad inurendam famæ aliorum maculam, famosos libellos, publicè, vel priuatim propalant, quasi impunè id sibi licere existiment. Propterea, vt tantam, ac talem pestem funditùs exterminemus, præter pœnas in Constitutione Pij V. statutas, & à Gregorio XIII. innouatas; excõmunicationis vinculo ipso facto incurrẽdę innodamus omnes, & quoscumque libellorum famosorum compositores, dictantes, scribentes, exempla transmittentes, propalantes, euulgantes, apud se retinentes, consulentes, vel quomodolibet in hoc crimine participantes, eosdemque pęna confiscationis omnium bonorum nostræ mensæ Episcopali applicandorum, & vlteriùs, si nobiles fuerint, per decennium in Castro Insulæ Cosyræ, seu Pantel-

Pius V. in bul. q. inc. rom Põtific. 19. mar. 1572 Gre. 13 i bul. ea est. 6. sep 1572.

lariæ damnamus; si verò ignobiles fuerint, per idem decennium ad remigandum in triremes detradantur.

✠✠ 14 Cum deceat Dei ministros, tam in sacris, quàm in minoribus Ordinibus constitutos alicuius Ecclesiæ seruitio adscriptos esse, ad vitę probationem, & bonorum morum continuationem, illi inseruire debent, cui à Nobis, vel nostro generali Vicario fuerint assignati; à qua ad aliam non liceat transire sine nostra expressa licentia, nec Parochis in eorum Ecclesijs eos respectiuè recipere, sub pœna suspensionis à diuinis, ibique saltem qualibet tertia, siue alia Dominica, iuxta Ecclesiarum consuetudinem, Eucharistiam, post Sacramentalem peccatorum expiationem, in maiori missa deuotè recipiant. Rixosi verò, aut aliàs in Ecclesijs immodestè se gerentes præsertim cum adstantium scandalo, ab earum Rectoribus expelli possint.

Trid. sess. 23. c. 6. de refor.

15 Ex quo multis in locis nostæ Diœcesis percepimus à Clericis doctrinam Christianam non frequentari, & quo tempore tam pio operi incumbere deberent in ludis, & varijs alijs conuersationibus, ac periculosis consuetudinibus eos versari, cum nihil sit, quòd nostram conscientiam magis angat, quàm tam sancto

ope-

operi totis viribus non incumbere. Propterea mandamus, vt in diebus Dominicis omnes in suas Parochiales Ecclesias conueniant, illam exponentem audiant; quam deinde paruulos edoceant. Si in hoc defecerint, Vicarij, & Parochi Nos moneant.

Congregationes item iam erectas, vel infra bimestre post huius constitutionis promulgationem erigendas frequentent. Quæ quidem Congregationes secundùm regulas, & constitutiones à Nobis approbandas instituantur; quibus pios viros, & ad id muneris idoneos à Vicarijs foraneis, & Parochis præfici volumus. Vicarij locorum tam salutare opus prætermittentes signent, & eorum nomina quamprimum Nobis deferant, vt quod necessarium esse iudicabimus, executioni mandetur.

16 Sacerdotes, & omnes in Sacris constituti quolibet mense in Sacristia, vel Choro Matricis, seu Parochialis Ecclesię simul conueniant, vbi proponantur aliquot casus ad conscientiam attinentes. De hijs frequentius, qui in dies agitantur, v. g. de Sacramentis, de censuris, & similibus, quorum resolutiones, in fine cuiuslibet mensis iam determinatas, ad Nos transmittant, quod Vicarij locorum omnino exequi curabũt.

Si aliter fiat, & sine causa legitima non interfuerint, prima vice incurrant pœnam vnius aurei; secunda duorum, tertia verò arbitrio nostro plectentur. Vicarij, si supradicta neglexerint, ac de contrauenientibus Nos certiores non fecerint, pœnam vnciarum sex exoluant.

✠✠ 17 Tandem maximo exoptamus opere, vt omnes nostræ Diœcesis Clerici Biblia sacra in dies lectitent. Sunt enim omnia eorum verba Spiritus Sancti iacula ignita. Alios item libros in promptu habeant, tam ad vitæ spiritualis perfectionem attinentes, quàm ad morum correctionem; Vitas Patrum nuper emendatas, necnon illos, qui morali Theologiæ conueniunt, in quibus apprimè, & diligenter versati, casus, qui ad conscientiam pertinent, dilucidè cognoscant, vt inter lepram, & lepram discernere valeant. Denique Christum Dominũ Episcopum Animarum nostrarum imitantes, sint humiles, misericordes, casti, sobrij, mansueti, vigiles, & in Ecclesiasticis Sanctionibus graues, & sollicitι, vt ab omnibus vitijs se abstinentes, omni virtutum genere abundent.

Additiones, & variationes.

ad num. 4. *Versiculo* Si permette però.

Temporum varietas, & personarum graues

ues Nobis proponunt rationes, quibus permoti permissionem armorum in prædicto versiculo factam reuocamus, sub pœna vnciarum quatuor transgressoribus.

ad num. 7 Nullus Sacerdos, aut Clericus teneat Equos cursores pro accipiendis brauijs; quod si Equos prędictos teneant, & illes ad cursum brauiorum exponent, vel alia quacumque ex causa, ipso facto pœnam incurrunt amissionis Equi.

ad num. 8. Si à negotijs sęcularibus proprijs dignitas clericalis abstinere suadet, multo magis abstinere debemus ab illis, quæ sunt propria Laicorum. Prohibemus itaque cuiuscumque Ordinis Clericis exercere munus Procuratoris, Exactoris, Collectoris, Pactoris, seu negotiorũ Gestoris, siue in Vrbe, siue Ruri in fauorem, & vtilitatem Laicorum; Sacerdotibus quidem sub pœna suspensionis à diuinis, & omnium officiorum ad Nos spectantium ipso facto incurrenda. Clericus verò in minoribus talia exercere, sit impedimentum ad alios Ordines suscipiendos, & vtrisque iniungimus obseruantiam sub alijs, etiam pœnis arbitrio nostro taxandis.

ad num. 9. Sicut æquitas postulat quod concedamus Clericis pro seruitio domus famu-

lam, ita decentia status requirit, vt illa non sit minor quadraginta annorum. Excipimus verò ex hac regula parentes fęminas vsque ad tertium gradum inclusiue.

ad num. 14. Visum est Nobis infrascriptam stabilem, quo ad fieri potest, deputationem Clericorum facere Ecclesijs. Omnes illi, qui in pręsentia domicilium habent infra confines Matricis Ecclesiæ, huic inseruiant; qui verò in districto Parochiæ eiusdem seruitio deputamus. Si fortè domicilium mutare oportuerit, non mutatur facta deputatio absque nostra licentia in scriptis habenda.

Quænam sit mens nostra circa seruitium Ecclesijs designatis præstandum à Clericis siue minoribus, siue sacris Ordinibus initiatis breuiter declaramus, ne excusationibus locus sit, Omnes Clerici tenentur interesse missis cantatis, & vesperis; illorumque ministerijs inseruire Dominicis diebus, & de præcepto. Insuper debent, inseruire Doctrinæ Christianæ quolibet die Dominico, & vnoquoque mense Sanctissimum Christi Corpus deuotè recipere, quicumque ex illis in aliquo prædictorum sine legitima causa coram Vicario loci iustificanda, deficiet, priuilegio fori, & gabellarum exemptione pri-

uetur. Sacris autem initiati contrauenientes, per biennium ab Ordinibus suscipiendis remouebuntur; & vt prędicta suum debitum consequatur effectum, mandamus Archipræsbyteris, Parochis, seu eorum Substitutis, vt notent in quolibet ex prædictis diebus, distinctè defectiones omnium, & eas ad Nos mittant de semestri in semestrem, mense scilicet maij, & nouembris, quolibet anno, sub pœna vnciarum decem pro qualibet vice. Sacerdotes omnes interuenire debent missis cantatis, & vesperis in omnibus Pontificialibus, quæ in Cathedrali celebrantur, & in Diœcesi respectiuè ac omnibus hebdomadæ sanctæ functionibus, sub pœna tarenorum duodecim, per nostros Prædecessores statuta; Pauperibus applicanda, vel alijs arbitrio nostro.

ad num. 16. Ob vtilitatem, quam afferunt Sacerdotibus, alijsque Ecclesiasticis crebræ collationes casuum, mandamus, vt semel in hebdomada a Vicarijs loci collatio ista definita fiat sub ijsdē pęnis dispositis vt in add. c. 3 l. 3

ad num. 17. Si quæ ex sacris Biblijs, pijsque libris leguntur, attentè considerantur; multum inde pietatis, & doctrinæ profectò acquiritur; ideo hortamur Clericos, vt saltem mediam

ho-

horam, qualibet die orationi impendant. Hoc vt facilius faciant ſtipendium ex theſauro ſanguinis Chriſti, cuique largimur, ſcilicet concedimus ſingulis Eccleſiaſticis indulgentiam, quadraginta dierum pro qualibet die, in qua per mediam horam orationi mentali vacabunt.

DE PAROCHIS & alijs, qui ad reſidentiam tenentur. *Cap. II.*

1 PRæter ea, quæ de Parochis ſparſim in ſuperioribus titulis, & de eorum obligationibus dicta ſunt, quia verò non exigui ponderis eſt Animarum cura, præ qua minoris ſunt huius mundi negotia. Idcirco ad Eccleſiarum Parochialium gubernationem iuxta formam ſacroſancti Concilij Tridentini aſſumpti in ſuarum Eccleſiarum domibus ſemper habitare cogantur, ac in ſuo ſe officio contineant, vt populorum neceſſitatibus, ſi quæ occurrerint, præſtò ſint. Quòd ſi alicui Eccleſiæ domus non extet, non ſibi eligant quas multum diſtare cognouerint, ſed eas, quę Eccleſiæ proximę intra limites Parochiæ miniſterijs obeundis commodæ, & Populo in conſpectu ſint, ne ſpecialem opem

trid, ſeſſ. 23. c. 1. de refor.

po-

poscentium oculos effugiant, aliàs pœnas non residentium subeant prout de iure.

2 Monemus ob id Parochos, vt videant, ne à Missæ auditione viduæ, puellæ, famuli, & agrorum cultores vacent, abusúsque, si qui in hac re sint, penitus auferant, quin si necesse fuerit, Nobis denuncient; itemque, ne mares à decem annis supra cum fœminis dormiant, etiam si fuerint sanguine coniunctissimi.

Habeant Catalogum omnium pauperum suæ pareciæ, præsertim nubilium puellarum, nec non orphanarum, viduarum, pupillorum, atque aliarum miserabilium personarum temporali, vel etiam spirituali misericordia indigentium, quibus, & ipsi pro viribus opitulari, & alios suo exemplo, & hortatu ad id officium incitare studeant.

++ 3 In die Cœnæ Domini, Sacerdotes omnes, Clerici, quilibet in sua Parochia, Sanctissimum Eucharistiæ suscipiant Sacramentum.

Excommunicatos, qui in excommunicatione per annum perseuerauerint, Nobis notos faciant. *c. rursus &c. qui cũq. 11. q. 3.*

Nemo à propria Parochia sine nostra, aut Vicarij nostri licentia discedat, præcipuè confessionum, & solemnitatum principalium tem-

po-

poribus, aut alterius Ecclesiæ necessitate, relicta propria, in aliorum commodum, suos destituat; sed missę ibi prius sacris peractis, & confessionibus expletis, liceat suffecto idoneo Cappellano, per dies quatuor (qui tamen non sint ex solemnioribus anni) tantummodo abesse; vltra dictum tempus à Paræcia discessurus nostram specialem licentiam recipiat, & Cappellanum à Nobis item approbatum in vicem constituat, & subroget.

4 Cathechismum Romanum frequenter legant, libros Ecclesiasticorum Rituum, ac alios Parochiales teneant, sed præcipuè qui ad casus spectant conscientiæ; casuum reseruatorum libellum, qui in Cœna Domini, & à Nobis, reseruantur, optimè calleant, ne eos, quos nequaquam possunt, absoluant. Integra sint vita, moribus; doctrinaque præditi, ne (quod absit) ex pessimo vitæ exemplo, laqueus sint fidelium Animabus.

bul. i cœna Dñi in fine

5 Libros quinque Parochiales in Rituali Romano annotatos, videlicet, Baptizatorum, Confirmatorum, status Animarum, Matrimoniorum, & Defunctorum, vnusquisque Parochus prouideat infra quindecim dies; formulisque in eodem Rituali designatis vtantur. Infra

rit. rom. in fin.

viginti quatuor horas ad summum partitas singulas Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, & Defunctorum describat, designando diem, quo obitus contigerit, sub pœna suspensionis à diuinis ipso facto incurrendæ.

6 Quicumque Beneficia ecclesiastica tam Curata, quàm Animarum cura soluta obtinent, quæ tamen iure, vel consuetudine residentiam exigunt, si ab eis absuerint, vltra id tempus, quod Canonum iura illis permittunt, tum fructibus illorum priuabuntur, tum pœnis in generali Concilio adhibitis punientur. *trid. sess 23. c. 1. de refor*

Additiones, & variationes.

ad num. 3. Sæpè quod non obtinet amor, timor iustus exequitur; vndè cum maximè displiceat Nobis absentia Parochorum ab Ecclesia, id ne eueniat, sequentem pœnam comminari putauimus. Parochus sine nostra licentia, vltra præscriptum tempus dierum quatuor à propria Parochia discedens, pœnam vnciarum quatuor ipso facto incurrat.

ad num. 4. Filij huius sęculi prudentiores sunt filij lucis, diuinæ sapientię oraculum est. Illi enim magna diligentia perquirunt libros ad lucra temporalia spectantes, quæsitos magna custodia tenent, die, noctuque reuoluunt; hi

quidem aliquando negligentes sunt, neque curant libros ad spiritualia lucra peraugenda necessarios, tanta incuria cogit Nos, illos à Parochis exigere; propterea Parochos obstringimus sub pœna vnciarum quatuor, vt in visitatione, Nobis exhibeant omnes libros, de quibus agitur in numero quarto.

DE SEMINARIO
Clericorum.
Cap. III.

trid. sess. 23. c. 6. de refor & ibid. c. 18. IN nostro Seminario, iuxta præscriptum Sacri Concilij Tridentini, iam erecto, nullus Puer recipiatur minor duodecim annis, nec maior decem & octo, qui etiam latinæ linguæ prima rudimenta non ignoret, & scribere sciat, sitque legitimo matrimonio natus, non infirma valetudine, eoque ingenio, & solertia præditus, vt facillimè studiorum labores vincere valeat. Seminarium ingressurus primò examini exhibeatur, & dignior digno præferatur, & pauper minus pauperi. Diuites verò, qui recipi desiderabunt, pro suo victu expensas soluant, iuxta taxam à Nobis statutam, pro quibus fiat contractus publicus cum obligationibus in forma.

ibid.

ibid.

Cum

2 Cum verò animi puritas in Adolescentibus sit primum, & nouissimum sustentaculum, quo pietas erga Deum in dies crescit, mandamus, vt ipso initio sui ingressus in Seminarium singuli generalem peccatorum suorum confessionem aperiant Confessario, ob id à Nobis specialiter deputato, & sacra muniantur Eucharistia; deinde bis singulis mensibus confiteantur, & in Cathedrali communicent.

Missæ Sacrificio quotidie in propria Cappella, vel in Cathedrali deuotè intersint.

Rectoris sermoni singulis sabathis omnes conueniant; ipse verò tenellos eorum animos puritatis, & modestiæ lacte nutriat, & exemplis Sanctorum, ætatis præsertim teneræ, qui præmaturè Dei omnipotentis obsequio se dederunt, ad vitæ integritatem hortetur; facillimè sanè ad bona quæque attrahet, ac præceptorum exiget obseruationem, si eos esca dulcissima deuotionis Immaculatæ semper Virginis Mariæ capere studeat; Sanctisque Angelis ad eorum custodiam deputatis sedulò se commendare instruxerit.

3 Omnes habitu, tonsura, & clericali bireto, tum domi, tum per Vrbem, cum ab alijs prospiciuntur, vtantur; cum verò ad relaxan- *ibid.*

dum animum extra Ciuitatem pergent, pileo vti poterunt.

Doctrinam Christianam, & Cathechismi præcepta non modò ab his, ad quos illud onus spectabit, audire curabunt, sed etiam simul ac recepti fuerint, memoriter ediscant, quæ ipsis à Rectore præscribuntur.

Ludo litterario ardentissimè operam nauent; quapropter Rectoris conscientiam oneramus, vt in hac parte neminem desidem permittat; ingenio, & captu tardioris, specialem gerat curam. Completis exercitijs studiorum à Lectore, vel Magistro scholę pro repetitione detur signum, quo dato, omnes publicè conueniant in locum à Rectore determinatum, & vnicuique scholarium classi præficiatur, qui per horæ medium lectiones, vel grammaticam repetat.

4 Dum ad prandium, & ad cęnam in Refectorio omnes consident, peracta benedictione ex Breuiario Romano, eorum aliquis è superiore loco pium aliquem librum clara voce legat ex Rectoris præscripto, vt non corpus solum, sed maximè etiam refocilletur animus; finita mensa, gratiarum actio de more fiat, & per horam à studijs vacent, eoque tempore cantui, maximè Gregoriano, seu firmo operam dent.

An-

Antequam dormitum eant, conſcientiam *ibid.*
vnius ſpatio quadrantis diſcutiant, & ſinguli ſingulis cubent lectis, nec plus octo horis ſomno indulgeant; mane autem ſtatim, atque lecto ſurrexerint, ſe ſigno Crucis muniant, & dato orationis ſigno, puncta præcedenti ſero annotata deuotè per dimidiam horam percurrant, ſecundùm præcepta, quibus orandi modum à Rectore edocti fuerint, Deum ſuppliciter exorantes, vt ſuas cogitationes, & opera dirigat in ipſius honorem, & gloriam.

Vnuſquiſque ſuam paruam menſam habeat, vbi ſtudeat, nec alter ad alterius menſam accedere præſumat, ſiue libros, ſiue quoduis aliud petendi cauſa, abſque expreſſa Præfecti licentia.

Silentium ſeruetur in Refectorio, Scholis, & Dormitorio, præſertim tempore orationi, ac ſtudijs deſignato.

5 Maioribus ſuis nimirum Rectori, Miniſtro, Magiſtris, ac cubili Præfecto exteriorem honorem, ac reuerentiam pro cuiuſque conditione, ætate, ac ſtatu ſemper impendant.

Nemini eorum à domo, locoue Collegij diſcedere liceat, niſi impetrata à Rectore venia, Condiſcipuloque recepto, quod raro concedi

vo-

volumus, nisi necessitas vrgeat, quo casu recto itinere Seminarium adeant. Cæterum omnes coniunctim, nec separatim, sed cum Præfecto, vel cum animi relaxandi gratia, vel ad publicas alias functiones obeundas interesse opus erit, incedant.

6 Extra Seminarium pernoctare nemini vnquam liceat, nisi de nostra licentia, quam, ob grauem aliquam causam, à Nobis petendam volumus.

ibid. Si qui fuerint inter eos dyscoli, ac prauis moribus enutriti, vel incorrigibiles, congrua pœnitentia, compedum, verberationum, vel alia quauis, pro delicti qualitate, ad aliorum emendationem prius palam mulctentur, deinde expellantur, nostra ordinatione præcedente.

Abstineant ab omnibus iuramentis, contumelijs, mendacijs, ludisque nociuis, & illicitis, ab omni denique actione, quæ speciem dissolutionis, aut leuitatis ostentet. Rectorem in Domino exhortantes, vt illos diu, noctuque occupatos semper habeat, quò faciliùs, otium malorum omnium fœcundissimam causam fugiant; quapropter studijs, sacrisque lectionibus, vt incumbant, maximè curet.

✠ 7 Denique, vt eorum indoles, & affectio-

nes

nes animi in bonum vſque deflexæ, Eccleſiæ miniſterijs fore ſemper deditos ſpem faciant, Eccleſiaſticiſque ſubeundis oneribus idoneos, peculiares Conſtitutiones, quas, vt faciliùs intelligantur, & executioni demandentur, materna lingua componi iuſſimus ad lineam ſub pœnis in eis reſpectiuè diſpoſitis obſeruari mandamus.

8 Deputati quatuor, iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini, ad meliorem Seminarij adminiſtrationem electi quolibet biennio, vel confirmentur, vel alij in eorum ſubrogentur locum, modò ſaltem vnus ex quatuor prædictis de rebus, & negotijs Seminarij informatus in officio, remaneat ad aliorum inſtructionem. Horum in primis erit cura, vnà cum Rectore, & librorum Detentore archiuium in dicto Seminario diſponendi, in quo ſcripturæ omnium bonorum Seminario applicatorum integrè conſeruentur, videlicet cenſuum, beneficiorum, tam vnitorum, quàm ad annuam contributionem grauatorum, aliorumque prouentuum; vt omnia eius iura ſeruentur illæſa, & in capſa benè obſerata, tribus ſaltem clauibus apud Deputatos ipſos conſeruandis, tutos cuſtodiantur. *ibid.*

Ex capitalibus redditutum penès Depoſitarium

Expensarum computi quotidianarum in diuersis libris adnotentur.

Additiones, & variationes.

ad num. 7. Qui in nostro Seminario degunt, oportet habere communem aliquam viuendi formam, seu regulas, permultæ in hoc Capitulo à num. primo, vsque ad octauum præscribuntur, quas è latino in vulgarem linguam reddi iubemus illorum Rectori. Qui cuilibet ingressuro offerat, vt propria manu transcribat, & exequi diligenter studeat.

ad num. 9. versiculo Singulis mensibus.

Huiusmodi deputationem, etiam coram Nobis, aut nostro Vicario Generali, seu Visitatori fieri mandamus.

DE SANCTIMONIALIVM Clausura.

Cap. IV.

VIrginibus nihil Deo est gratius, charius nihil; Paradisum enim replet Virginitas, cum viuere in carne præter carnem, Angelicum potiùs, quàm humanum sit. Eius tamen custodiendæ, sicut grauius est periculum, ita cautior debet esse vigilantia, quæque ad sacras Virgines

c. nuptiæ 32. q. 1.

c. vbi de electi 6.

quomodolibet spectant, accuratè prouidenda.

Quo Christo Domino dicatæ Virgines superni Sponsi oculis gratiores reddi possint, & hominibus castitatis, & religionis exemplum ex omni parte prębeant; clausura exterior maximopere iuuabit, qua omnes Moniales nec conspici, nec ipsæ alios spectare possint.

2 Euitanda verò ipsis quàm maximè erit cum externis assidua collocutio, quandoquidem non solum tempus (quo nihil prætiosius) conteritur, verùm etiam ex hoc non contemnendæ perturbationis occasio sæpissimè oritur. Ergo volumus, quòd quælibet collocutoriorum fenestra, duabus muniatur cratibus, quarum, saltem exterior, si commodè fieri poterit, sit ferrea. Nemo deinceps cuiuscumque gradus, & dignitatis prerogatiua emineat (exceptis con-
cong. Ep. sanguineis primi gradus) absque nostra, vel Vi-
15. ian. 1616. cariorum licentia, scripto gratis obtinenda Moniales Puellas, aliasque in Monasterio commo-
c. monasteria de vita, & honest. cl & c. periculoso de statu regul. in 6 rantes alloqui præsumat. Qui verò absque prędicta facultate ad Monasteria collocuturus accesserit, nedum excommunicationis sententiæ vinculo ipso facto obstringatur, verùm tres integros menses carceri mancipetur.

Monialis autem, vel alia quæcumque in

Mo-

Monaſterio degens alios [primo gradu ſibi non coniunctos) alloquens, in carcerem mittatur per menſem, & per duos alios loquendi etiam cum propinquis cuiuſcumque gradus facultate priuetur. Abbatiſſa, ſeu Præfecta, quæ humano reſpectu, has pœnitentias ad vnguem exequi neglexerit, ipſo facto per menſem ab officio ſuſpendatur ſuo. Si autem facultatem alloquendi alicui ex Monialibus conceſſerit [niſi cum exteris iter agentibus pro vnica vice] abſque prædicta licentia ſcriptis, eadem pœna puniatur. Ipſi verò Abbatiſſæ, prout Monaſterij neceſſitas exegerit, colloquendi facultatem impertimur.

3 Cellerariæ, Ianitrices, Rotariæ, infirmarum, laborumque Præfectæ, & Sacriſtæ, cum his tantùm, qui Monaſterium aliqua de cauſa adeunt ex officiorum ſuorum munere, de licentia Abbatiſſę, loqui poterunt, breui tamen, quid petant, ſciſcitentur, quodque illis committendum erit, breui item ſermone complectantur.

Dum verò diuina celebrantur officia, vel ad menſam accubant, caueat Abbatiſſa, ne cui negotiandi facultatem concedat; quòd ſi eo tẽpore quid interueniat neceſſarium, per Ianitricem deferatur Superiori, quæ tunc, quod magis cognouerit expedire, prudenter determinabit.

Omnino prohibemus, ne Abbatissæ, Ianitrices, aliæque Moniales ante ianuas sermones habeant cum quibuslibet personis, etiam cuiuscuis consanguinitatis sibi gradu coniunctis, sub pœna carceris.

* c. ibid trid. sess. 25. de regul. c. 5. Pius v. in bul. q. incip. de cori, & honestati. 1. feb. 1570. Greg. 23 bul. q. inc. Vbi gratiæ. 13. iun. 1575. & in bul q. inc. dubys. 23. decem. 1585.

Ad rotæ, portæque custodiam duæ saltem semper assistant prudentes, prouectæque ætatis Moniales, quę nunquam inde recedant, nisi peracto, quod exequendum erit, opere, nullaque alia præter assignatas hoc fungi munere audeat.

4 Districtius tamen prohibemus, sub pœna excõmunicationis latæ sentẽtiæ, ne quis cuiuscũque sexus, ætatis, conditionisque intra septa * Monasterij ingrediatur, neue persona aliqua etiam Monialis, sub eadem pœna puellos, aut puellas, cuiuscumque etiam infantilis ętatis sint, intromittat, ijs verò qui ad obeunda, ac præstanda, quæ Monialibus apprimè sunt necessaria, ingredi debent, non nisi de nostra, vel nostrorum Vicariorum facultate, & ad tempus, prout in constitutionibus decreuimus, id liceat.

* S. cõg. d. 2. iul. 1589.

In quouis Monasterio, * vbi non est extructum valetudinarium, seu infirmaria, quamprimùm fieri poterit, construatur, & pro infirmarum seruitio vna, seu plures eligantur, iuxta loci consuetudinem, & Monasterij cõstitutiones.

Me-

Medicus extra infirmariam, nisi casus repentinus occurrerit, quo ægra à loco, vbi iacet, non permittatur amoueri sine vitæ discrimine, non visitet. *ibid.*

Vlterius autem volumus, vt quotiescúque prædicti omnes Monasterium ingredientur, antequam ianua aperiatur, signum detur campanæ, quo Moniales omnes, & Puellæ ab eorum conspectu se subtrahant, vt Sanctas decet Virgines. Erunt autem hijs Comitatrices assignandæ duæ, vel tres prouectiores ex Monasterio. Vnde quolibet Monasterium huiusmodi Comitatrices designabit, quarũ munus erit viros, vbi intra claustra fuerint ingressi, ad destinatum locum, inde ad ianuam iterum [recto tramite] comitari, campanula semper personante. Etiam præcipimus, vt duæ ex senioribus in conspectu Operariorum semper assistant, non otiosè quidem inibi tempus consumentes, sed honesto intentæ operi, dum custodiæ incumbunt. *ibid.*

Monasterij claues apud Vicarios conseruentur. Crates locutoriorum, tempore Aduentus, & Quadragesimæ semper obseratæ teneantur, clauibus similiter Vicarijs maturè traditis. *cõg Ep.*

Si qua Monialis exorcizãda erit, nõ nisi ad formã à Sacra Cõgregatione pręscriptã, id fiat. *1. iul. 1606.*

ad-

Additiones, & variationes.

Sponsarum locorum obtinent apud Christum Dominum Sanctimoniales: illas nostræ curæ ipse commendauit; vt tanto muneri satisfaciamus, aliqua decernere putamus, quę ad earum bonum maximè conducunt.

In primis tempore orationis, diuini Officij, Missæ, & expositionis Eucharistiæ, clauibus obseratur cellocutorium à Procuratore, seu ab alio, ad quem spectat, qui si id minimè curauerit, prima vice tribus diebus in carcere detinebitur, secunda vice sex, tertia denique demittetur.

Vna ex Auscultatricibus semper assistat, atque circumeat crates collocutorij: ipsius cura sit obseruare Moniales cum quibus, & qua modestia colloquuntur; inquiratque, an habuerint facultatem ab Abbatissa, & ab alijs Superioribus, quas delinquentes inueniet, referat eidem Abbatissæ; hæc verò sæpè etiam visitet collocutorium, neque sit remissa in puniendo illas pœnis in Synodo, aut nostris ordinationibus statutis. Quas Animas Dęmon apertè nequit decipere, scit se in Angelum lucis transfigurare, illasque varijs illusionibus circumuenire. Præcipuè est, cum conscientias turbat inani timore, suadetque vt à confessione abstineant. Huic malo oc-

cur-

currere volentes; Monialem, quę absque legitima causa singulis mẽsibus Animam suam confessione expiare neglexerit, priuamus voce actiua, & passiua per duos menses; quòd si continuabit, per sex menses: si adhuc perduret, penitus priuamus; neque reintegrari potest, nisi de nostra licentia.

Vbi est laudabilis vsus laborandi in communi loco, sit eo tempore Monialis, quæ legat per mediam horam regulam, vel alium librum pium; in ijs verò Monasterijs, in quibus non est talis vsus, legatur vt supra, hora ab Abbatissa statuta.

DE ECCLESIIS *Monialium, & diuinis Officijs.* *Cap. V.*

1 IN Ecclesijs Monialium prope Altare maius, in aliqua fenestella asseruetur sanctum Oleum pro infirmis eodemmet ritu, & ordine, quo supra Lib. 2. ca. 8. nu. 8. fo. 126. S. Cõg. d. 2. iul. 1589.

Organa [nisi eædem ipsæ Moniales pulsent] seorsim à Lectorino, siue Choro, sita sint; quin si commodè fieri possit, per Sacristiam ad ea deueniatur. Suggestus pro Concionatoribus

non

non parieti affixus, sed portatilis construatur. *ibid.* Crates in Ecclesia duplicatæ conficiantur, quarum saltem exterior sit ferrea; & quidem ad has, neque cum maribus, neque cum fœminis cuiuslibet gradus, & conditionis, detur locus alloquendi. Fenestellæ Confessionalium modo construantur prædicto, & tela etiam obducta. Fenestella ad Communionem integro sit alta palmo dimidio lata, quæ binis portulis, totidemque seris, & clauibus, altera interius penès Abbatissam, altera exterius penès Confessarium detinendis occludatur; atque hæ nunquam reserentur, nisi cum Sanctissimum Sacramentum erit ministrandum.

trid. sess. 25. de regul. & monial. c.10. 2 Cum Sacramentorum frequentia ad conseruandam, & augendam Dei gratiam in Anima præ omnibus plurimùm conferat, propterea singulis saltem quibusque mensibus, cum in omnibus Christi Iesu D. N. cum Beatæ Virginis Mariæ festiuitatibus, omnes Sacerdoti, à Nobis ad hoc munus in Monasterijs deputato, *Clemēt. ne in agro § sanè de statu mon.* atque approbato, & peccata aperient, & ab eodem recipient communionem. Idque etiam in festis Tutelarium Monasterij obseruandum iniungimus, sub pœnis contentis in nostris constitutionibus pro eisdem Monialibus editis.

DE MONIALIVM *Institutionibus.*

Cap. VI.

SAnctimonialium modestia, vt omnibus perspicua sit, non solùm, quæ ad animi nitorem attinent, verùm etiam quæ ad exteriorem amictum conducunt promouenda summopere desideramus; proinde nulla earum prætiosis vestibus vti debet, adeoque eæ, quibus vtitur, non sint diuersi coloris à communi Religionis habitu, sed omnes, quo ad fieri potest, eiusdem pretij, & qualitatis, quales decent paupertatis voto adscriptas. Velum nigrum, quo in professione sunt insignitæ, in Monasterio semper deferant, sub pœna priuationis eiusdem veli, ad tempus Nobis beneuisum, ipso facto incurrenda. *Trid. vt sup. c. 1.*

2 Vnumquodque Monasterium specialem locum habeat laboribus, & manuum operibus deputatum, vbi Moniales statis horis, dato campanulæ signo, conueniant.

Omnes in communi dormitorio dormiãt, singulæ singulis lectis; at si sint cellulæ, in singulis singulæ cubent.

In dormitorio, cuius porta claue obserata

esse debet, vna, aut plures, prout necessitas expostulauerit, lampades ipsa nocte colluceant.

3 Quantùm vero Deo iustissimo scelerum vindicatori doleat, quod Sæcularibus aperiantur, si quæ sunt Sororum delicta, quæ sub obtutu charitatis, & christianæ miserationis inuolucris obtegere tenemur, non est, quod in præsenti verbis exemplificemus. Ergo non sine grauissimo animi sensu, mandamus, ne qua Monialis, siue Superior illa sit, siue subdita, cum externis de his sermonem instituat, vel quouis modo manifestet, siue parui, siue magni illa momenti fuerint, nisi fortè Nobis, aut nostris Vicarijs, vt remedium, si quo opus esse videbitur, maturè adhibeamus; id quod ex charitate, ac Monasterij fiat bono. In quo casu, in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus, vt secretò oretenus per nuncium, vel per epistolas Nos monitos quantocius esse velint.

4 Monialis nulla [cum parentes, fratres, sorores, reliquosque sanguine, & affinitate coniunctos mori contigerit) luctui, sęcularium more indulgeat, à Choro, Refectorio, alijsque communibus locis, & exercitijs, subtrahendo se; sed Abbatissa, transacto ad summum triduo, quod ad luctum charorum negari non debet,

cōg. Ep. 12. ian. 1604.

cum alijs ad res omnes conuenire cogat, sub pœna ipsi Abbatissæ priuationis officij; quæ verò elapso prædicto dierum spatio inobedientes fuerint, carceri per duos menses mancipentur.

DE PVELLIS Religionem professuris.

Cap. VII.

IN quolibet Monasterio sit locus distinctus pro Nouitijs, & earum Magistra.

Antequam Puella, cuius voluntas Nobis constiterit è præuia exploratione, habitum de nostra licentia assumat, vota Monialium à persona à Nobis deputanda recipiantur per secreta suffragia, & non aliàs, sub pœna nullitatis actus. Iam verò quod Moniales in Domino magis expedire iudicauerint, executioni mandetur, nempè si maior Capituli pars, recipiendam annuerit, recipiatur, si verò dissenserit, excludatur. *Trid. sess. 25. de regul. c. 17.*

2 Admissa proinde in earum Collegium, Monasterij instituta crebris à Magistra Nouitiarum sermonibus edocenda est; frequens interea debet esse Sacramentorum exercitium, iugis oratio, qua ad professionem toto animi af-

fectu se disponat, ac Sancti Spiritus vnctionem consequi mereatur.

Nulla autem ratione ad solemnem votorum professionem admittant, nisi decimumsextum ætatis annum impleuisse comprobet, & legere optimè calleat, annumqne integrum compleuerit professionis.

ibid. c.15.

Quicumque Virgines à vouendo impedierint, vel qui contra inuitas ad habitum, professionemque coegerint, excommunicationis pœnam ex Tridentino, se incurrisse cognoscant.

ibid. c.18.

Et quia in hac Diœcesi ædes sacræ ad formam Congregationis non extant, & dotium, seu pecuniarum deposita, prout hactenus compertum est, penès priuatas personas facta, plerumque periclitãtur, sancimus, antequam Puella ad habitum admittatur, dotem in ære depositari, penès arcam Monasterij à Nobis deputandi, quę sit tribus obserata clauibus, quarum vna penès Vicarium, altera penès Abbatissam, tertia verò penès Monasterij Protectorem, vel Procuratorem custodiatur; nec inde ante professionem, nisi de consensu depositantis, & de nostra licentia pecuniæ amoueantur, sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, & alijs, præter depositi restitutionem, arbitrio nostro infligendis.

cõg. Ep. 6. iun. 1615.

In-

Interim quolibet semestri anticipatè soluant alimenta, quorum tuta prius recipiatur fideiussio, nec professionis beneficio donari volumus, nisi soluendo compleuerit alimenta. *ead. cõ. 13. sep. 1583.*

Quęlibet Professa locum, & pręcedentiam iuxta suæ professionis antiquitatem obtineat, secus per annum cum Nouitijs habeat, & carceri arbitrio nostro mancipetur. *26. iun. 1615.*

Additiones, & variationes.

ad num. 2. Circumstantiarum contingentię aliquando postulant legum Epycheiam, hoc est benignam interpetrationem iuris, qua vti putauimus circa materiam huius numeri; propterea si contingerit, quod ob aliquod graue motiuum dos in cassa trium clauium depositari nequeat, offeruntque dotantes Personam ecclesiasticam, penès quam depositetur, poterit Visitator suum præstare assensum, sub hac tamen conditione Visitatoribus Monasteriorum facultatem hanc concedimus, vt in defectu Depositarij, ipse de proprio dotem Monasterio soluere teneatur.

DE

DE EDVCANDIS

Cap. VIII.

PVellæ Educandæ recipi non possunt, nisi de licentia Sacræ Congregationis, ideoque in ijs tantùm Monasterijs, in quibus ea viget consuetudo has recipiendi, & locus sit specialis,
27. mai. 1603 in quo seorsim à Nouitijs, & Monialibus vna cum earum Præfecta commorentur; quæ quidem Educandę nec sint minores septennio, nec annis vigintiquinque maiores. Quolibet semestri anticipatam pro alimentis solutionem præ-
ibid. stare debent. Consanguinei, seu earum Procuratores, necessariam ijs assignent supellectilem; quòd si constituta alimentorum pecunia, dicto tempore soluta non fit, ne aliarum prouentibus cum Monasterij iniuria viuant, nisi intra mensem solutionem adimpleant, ad suos remittantur. Statuimus autem nullam in posterum, pro maiori Monasteriorum cautione, Puellam educandam recipi, quæ idoneam de alimentis fideiussionem, modo prædicto, soluendis non præstiterit.

vlt. aug. 2 1575 Insuper, quæ semel valetudinis causa, ac de nostra licentia exierit, erit iterum minimè recipienda. Earum quælibet vestitum adhibeat de-

decentem, ornamenta omnia penitus euitando; inaures, monilia, cæterosque huius generis fucos, qui humanis in aspectibus Dei similitudinem deturpant, omnino fugere velint.

Vbi verò ex eis aliqua nuptias contraxerit, è Monasterio statim egrediatur; nec vllo pacto Vicarius, & Abbatissa permittant, Sponsum ad illam alloquendam accedere, vel munera inter sese ad inuicem mittere, sub pœna Vicario suspensionis à diuinis ipso facto incurrẽda, & Abbatissæ suspensionis ab officio per sex menses, & alijs pœnis Nobis beneuisis. Quod si iustis de causis exire non possit, Nos statim consulat Abbatissa, sub eadem pœna, vt de remedio opportuno prouideamus.

DE ELECTIONE Abbatissæ, aliarumque Officialium. Cap. IX.

1 VT execrandum ambitionis vitium (quod disciplinæ religiosæ deplorabilis est euersio, ac virtutum, totiusque perfectionis exitium) penitus euitetur, districtissimè in eas omnes, & quascumque Moniales animaduersuros pollicemur, quæ directè vel indire-

rectè per se, vel per alium, honores, aut officia, imbecillitatis propriæ immemores procurare præsumpserint.

Abbatissa per mensem, antequam suum expleat triennium, Nos de proxima electione faciat certiores.

§. 2. Ergo cum erit eligenda Abbatissa, vel Monasterij Præfecta, ex Sacrosancti Concilij Tridentini Decreto, eà eligatur, quæ non minor sit annis quadraginta: quæque octo saltem annis, post emissam professionem laudabiliter vixerit, cæterisque polleat dotibus, quas Sacri Canones districtiùs exigunt. Et quidem tacitis suffragijs ad crates coram Nobis, vel nostro Generali Vicario ad electionem deueniatur. Quod si nulla ijs affecta conditionibus inuenitur, si quę fuerit, quę trigesimum ætatis annum excedens, quinque annorum spatio honestam, ac laudabilem bonisque moribus commendatam egerit vitam, poterit, ex eiusdem Concilij præscripto, eligi. Attendant autem eligentes maximopere haud eam esse eligendam, quæ fuerit solùm ætate prouectior, verùm quę morum probitate, vitæque integritate commędetur, habita etiam ratione corporis incolumitatis, qua huic muneri subeundo, ac ferendis oneribus par esse possit.

Trid. sess. 25. c. 6. & 7. de regu. & monial.

ibid.

id. c. 6.

Vt

Vt autem in Abbatissę electione omnes discordiarum causæ præscindantur, Sacrorum Canonum, & Tridẽtini Concilij menti Nos conformantes, volumus, quòd in primo scrutinio ex Monialium votantium suffragijs, tres constituantur partes, quarum saltem duas integras ad canonicam Abbatissæ electionem necessarias esse declaramus. Quod si minus fuerint concordes, percurrat secundum scrutinium, in quo, dum vota supra medietatem excesserint, in illis Monasterijs, vbi talis viget consuetudo Monialis, sic electa in Abbatissam promoueatur; quod si adhuc, prout supra, non conuenerint, vel vota fuerint inter se disparia, certum tempus concordandi dissentientes Animas assignabimus. Quo elapso, tertium adhibeatur scrutinium, in quo si rursus discordes reperiemus, electionem ex Sacræ Congregationis Decreto ad Nos liberè spectare sciant; Nos verò quam ex eis idoneam ad id muneris iudicabimus, eligemus. Abrogantes omnino abusum, qui in hac Diœcesi inualuit, Abbatissam eligendi per suffragia dimidiam saltem votorum partem non excedentia.

c. indẽnitatis de elect. in 6 Cõg. ep. 20. nou. 1585

12. oct. 1592

ead.

In quibus Monasterijs de Sacræ licentia Congregationis, germanæ plures sunt, si quan- *26. aug. 1616*

do earum vna Monasterio præfuerit, aliæ ad nullum deligantur officium absque nostra dispensatione.

Reliquæ Officiales, iuxta Monasteriorum morem nominatæ, à Nobis recipiant approbationem.

Additiones, & variationes.

ad num. 2. In electione Abbatissarum varia insurgunt incommoda religiosæ Obseruantiæ; ad hæc vitanda decernimus, quod vbi non præest Episcopus, aut Vicarius Generalis delegatus ad electionem deputatus, infrascriptum ordinem tenebit. Primò spiratæ Abbatissæ renunciationem accipiat, & statim Vicariam substituat in gubernatione duraturam, vsque ad confirmationem, & possessionem nouæ Abbatissæ; deinde ad electionem conficiendam procedat, qua peracta publicet Abbatissam electam; nisi ex motiuis, & causis vrgentibus Nobis beneuisis aliter videatur, quæ nullo modo se ingerat in gubernatione Monasterij, nisi prius obtineat à Nobis confirmationem, eique tradatur legitima possessio. Insuper mense præuio ad electionem Abbatissæ nulla Monialium audeat loqui de electione facienda cum externis, excepto Ordinario Monasterij. Si opus fuerit loqui

cum aliquo externo, Monialis Visitatori exponat motiuum; quod si graue Visitator iudicabit facultatem concedet, sin minus negabit. Et hęc præcipimus tum ipsis Monialibus, tum Visitatori, sub pœna excommunicationis.

DE SCRVTINIIS faciendis in Monasterijs Monialium. Cap. X.

1 IN omnibus Scrutinijs post hac faciendis tam in electione Abbatissæ, quàm in creandis Officialibus, seu recipiendis Puellis ad habitum, Nouitiatus, Professionem, vel educationem, & in alijs quibuscumque, in quibus Scrutinio opus erit, ad euitanda inconuenientia facta, quæ per Scrutinia fabis, vel calculis celebrata oriebantur; mandamus, vt in posterum suffragia recipienda ad fenestellam personaliter, oretenus secretò, & articulata dentur voce, nec per aliam personam, nisi in casu grauis infirmitatis transmittantur, sub pœna nullitatis actus, & recipienti vota, suspensionis à diuinis ipso facto incurrenda. trid, sess. 25. de regu. & mon. c. 7

In loco vbi fit Scrutinium, præter votantem Monialem, nulla alia intersit, nec in quo-

uis etiam alio loco, vel propè, vel longè, ex quo possit suffragantium vota audire, aut quoquomodo percipere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

DE CONFESSARIIS, & Cappellanis Monialium. Cap. XI.

✠✠ 1 Confessarij Monialium à Nobis electi, & approbati, sint Deum timentes, & probatæ vitæ, qui valeant illas exemplo, & virtutum splendore ædificare, & instruere, his autem vicissitudo munerum, quamuis exigua sint, quæ sibi cum Monialibus possit intercedere, omnino interdicta est, sub pœna suspensionis, ipso facto incurrenda, nec non, & carceris arbitrio nostro.

trid sess. 25 de regul. & monial. c. 10.

✠✠ 2 Extra ordinarios Confessores, qui ter in anno accedunt ex assignatis à Nobis, quolibet quadrimestri ante mensem Nos interpellare curet Abbatissa, vt deputemus; interim ordinarius Confessor nullo modo ad colloquendum cum Monialibus adueniat, aut quouis modo impediat, quin omnes, nulla excepta, ad extraordinarium accedant, saltem pro benedictione; &

Ab-

Abbatissæ muneris erit, vt id omnino obseruetur. Confessariorũ socij extraordinariorum, cum Monialibus alloqui non possunt. Confessor ordinarius cum ad audiendas confessiones in Infirmaria, vel ad alia ministranda Sacramenta Monasterium ingreditur, associetur, vt supra, & superpelliceo, ac stola sit indutus, eodemque modo Vnctionis extremæ Sacramentum ministrabit, alioquin confessione priuabitur.

Sactimonialibus in grauissima infirmitate, dubioque mortis periculo [quod ex certa Medici fide iure iurando confirmata, & Vicarijs in scriptis ostensa constabit) facultatem indulgemus extraordinarium petendi Confessorem, quem à Vicarijs prædictis ad spiritualem salutem morientis, & consolationem ex approbatis à Nobis, & eis beneuiso optari volumus, qui associetur eo modo, quo dictum est de Ordinario; quòd si superuixerit, & rursus in id ipsum inciderit periculum, liberum sit ei Confessarium, vt supra denuo postulare, & Vicarijs respectiuè assignare.

Additiones, & variationes.

ad num. 1. Ad tollendos conscientiæ scrupulos, qui sæpè sæpius viros timoratos conturbant, arduam putamus pœnam suspensionis,

ipso facto incurrendam contra Confessarios ob vicissitudinē munerum exiguorum. Attamen ne nostra pietas sit illis in laqueum; sciant Confessarij Monialium, quod huiusmodi vicissitudo munerum est ipsis interdicta, sub pœna suspensionis incurrendæ.

ad num. 2. Quam iura non tollunt libertatem, neque Nos restringere audemus, proinde si aliqua Monialis peculiarem difficultatem habet confitendi peccata Extraordinario, poterit de nostra, aut Visitatoris licentia Ordinario suo peccata confiteri, non obstante quod sit Extraordinarius præsens, ad quem tamen semper accedere tenetur pro benedictione.

DE BONIS TEMPORALIBVS Monialium.

Cap. XII.

trid. sess. 25. c. §. in prædictis.

1 NE in nostræ Diœcesis Monasterijs numerus Monialium tantùm excrescat, vt commodè viuere nequeant, sed tot inibi sint, quot ex annuis vectigalibus ipsius Monasterij, vel assuetis eleemosynis sustentari possint; idcirco vltra numerum à Nobis præfigendum Moniales non recipiantur.

Quo

Quò autem facilius ad Monasticæ scopum perfectionis perueniatur, communem vitam ex omnibus necessariam instituere maximopere optamus. Votum enim sanctæ Paupertatis, murum veluti Religionis, & antemurale tutissimum esse dignoscimus. *Plus v. in const. inc. Pastoralis. 1566.*

Quælibet Monialis singulis annis omnium suarum rerum, & supellectilium, quæ suo habet vsu, inuentarium, seu iulianam conficiat, quam Monasterij Præfectæ consignet in eiusdem Monasterij arca custodiendam. *trid. cit. c. 10.*

Quoscumque contractus emptionum, venditionum, transactionum, vel reluitionum quorumcumque bonorum, tam mobilium, quàm stabilium, ac reddituum, vel quictantiarum generalium, & aliorum quorumuis, etiam in ipsius Monasterij vtilitatem, & commodum, sine nostra licentia in scriptis obtinenda, Abbatissa, vel Moniales celebrare non audeant, exceptis tamen apocis solutionum, quarumuis pecuniarum Monasterij debitarum, & soluendarum. Quo casu cum interuentu Vicarij, & Monasterij Protectoris, siue in eius defectum Procuratoris, id fieri licebit. Si verò agatur de re modici præiudicij, & non excedente summam vnciarum sex, tunc id fieri sufficiet de licentia

Vi-

Vicarij, & cum interuentu supradictorum Officialium.

3 Eleemosynæ, aut quæuis alia pecunia suis acquisita laboribus, vel redditus, aut pecuniæ à Parentibus, vel Consanguineis dari consuetæ, si Monialium cuipiam obuenerint, in communi quadam reponantur arca, ex qua Moniales sine Abbatissæ licentia desumere nihil possunt, & hoc in proprios, & licitos vsus erogandum. Hæc autem arca sit tribus clauibus munita, quarum vna penès Abbatissam seruetur, altera penès Seniorem Decanam, tertia verò apud Monialem capitulariter eligendam. Quæ autem pecuniam alio modo retinebit, aut expendet, actiuo, & passiuo suffragio per annum priuetur. Abbatissa verò, vel Monasterij Præfecta in nullos vsus, etiam Monasterio necessarios, sine Monialis (cuius nomine sunt depositæ pecuniæ) consensu, expendat, sub eadem pœna.

Habeat Abbatissa librum, in quo pecunia in arca deposita scribatur, cum illius nomine cuius est, & quidquid inde excerptum fuerit, aut expensum, fideliter annotet. Alium huic similem Celleraria, Bursaria, aud Decana retineat, & easdem scribat expensas, vt cum opus fuerit,

pecuniæ ratio absque vllius detrimento, vel iniuria reddi possit ex vtraque librorum comprobatione.

4 Contractus omnes, transactiones, obligationes, instrumenta emptionis, & quoscumque alios ab ipsismet Monialibus celebrandos, si conditio apponitur, vt vita durante, illis vtantur, & post ipsarum obitum, alia Monialis, vel extera succedat, sciant nullius esse roboris, vel momenti, prout Nos illos prorsus irritos, & inanes declaramus, sed cuncta intelligantur Monasterio acquisita, nisi verò cum hac conditione ad ipsas, bona illa, redditus, vel pecunia quocumque titulo peruenerint, & cum licentia, & interuentu Vicarij, & Abbatissæ.

DE PROTECTORIBVS, & Procuratoribus.
Cap. XIII.

✠ 1 PRotectores, Procuratores, Exactores, Thesaurarij, Librorumque Detentores, de nostro eligantur consensu. *cōg. Ep. 31. iul. 1615.*

Hi quolibet mense ad crates coram Abbatissa, Celleraria, & alijs Monialibus, ad quas expensionum cura spectat, conuentum agant; ibi

computos examinent, & introitus, atque exitus diligenter rationem subducant; quoue pacto sit Monasterio prouidendum, ne quid fortè necessarij deficiat. Et quidem de frumento, vino, alijsque rebus prouidè, & anticipatè disponant, ne carius deinde postposito tempore huiusmodi res emere cogantur. Si quid exorietur difficultatis, Nobis significent, & à locorum Vicarijs de consuetudine, scitè omnia efficiantur.

2 Procurator pecunias apud se nullò modo retineat, sed statim Thesaurario, vel Abbatissæ, & Decanis in arca trium clauium, conseruandas tradat.

Pecunia, quæ ex reluitione redditiuum, & bonorum reuenditione prouenit, statim in supradicta arca reponatur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & ibi asseruetur illam reinuestiendi causa in reddituum, bonorumue emptionem, seu redemptionem, nostra adhibita auctoritate.

Additiones, & variationes.

ad num. 1. in principio post verbum consensu.

Si secus fuerit facta electio, nunc pro tunc, & è conuerso ipso iure, & ipso facto nullam declaramus vna cũ omnibus actibus inde sequendis, & electum incurrere, ac incurrisse in pœ-

nam

nam vnciarum viginti, vsibus pijs nostro arbitrio expendendis statim ac, & ipso facto quod administrat officium.

ad num. 1. in fine. Rectæ gubernationis ordo requirit, quod introitus, & expensionis notitiam habeat Minister Nobis immediatus, vt ex nostra mente valeat Monasterio consulere. Quare volumus, vt quolibet mense compotum fiat, etiam coram Visitatore.

DE SERVIENTIBVS Conuersis.

Cap. XIV.

EXperientia satis, superque docuit, quantùm detrimenti attulerit abusus ille, qui hucusque in huius Diœcesis Monasterijs inoleuit, quo Puellæ sæculares, quæ pro Monasteriorum seruitijs admittuntur, ad tempus tantùm eis inseruiunt, ita vt, cum Præfectæ, vel alteri visum fuerit, eas è Monasterio pro libito eijciant, aliásque introducant. Hinc Nos felicis recordationis Gregorij XIII. Constitutionem in vsum reuocantes, hoc nostro Decreto sancimus, & statuimus, vt nullæ Seruientes, nisi ad habitum, & professionem emittendam reci-

*Greg. 13 in bul. 8 inc. Deo sacris virginibus. §. 6 ibid.**

piantur; (si verò profiteri nolunt, dimisso habitu domum suam repetant; neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua mansuras omnino clausura in Monasterium permittatur.) Quod vt excusationi nullus pateat aditus, in ijs recipiendis hic item seruetur ordo.

Primò ex legitimo matrimonio, & honestis parentibus natæ sint; secundò decimumsextum annum egrediantur, vti seruitio Monasterij aptiores esse possint; tertiò quòd Monasterij crates sæpè sæpiùs frequentauerint instantes pro receptione, vt earum propositum, & bona illarum indoles Monialibus innotescat; interim earum Cònfessario confiteantur, à quo de regulis Monasterij, vitaque ecclesiastica instrui possint; quartò, ex Decreto Congregationis, virgines omninò sint, & bonæ vitæ, ac famæ; quintò praeuia nostra licentia in scriptis obtinenda, exploratā earum volūtate per Vicarium, seu alium à Nobis designandum, & per eumdem receptis Monialium secretis votis, si ea pro maiori parte conuenerint, introducantur in Monasterium, & recipiantur ad habitum Conuersarum Nouitiarum, iuxta Monasteriorum Statuta.

trid. ses. 25. de regu. & mon. c. 7

cōg. Ep. 6. febr. 1515

trid. vt s. Probationis anno finito, iterum præcedente

tę nostra licentia, earumque proposito inquisito per Vicarium, seu alium, vt supra, ac votis Monialium per eumdem, vt supra, receptis, si recipiendis suffragentur, ad professionem, iuxta Monasterij regulam, admittantur.

Omnino autem ijs iam Professis, vsum veli nigri interdicimus, etiam quod ad sacram Eucharistiam sumendam accedant, sub pœna carceris per mensem.

Huiusmodi Seruientes Conuersæ, nullæ ex Monialibus particulari deseruiant, sed communi operi, cui applicatæ per Abbatissam fuerint, inuigilent.

Tandem perinde, ac veræ Religiosæ, omnia, quæ de Monialibus dicta sunt, respectiuè seruent, vt à Deo Opt. M. apud quem non est personarum acceptio, mercedem aliquando accipiant.

DE SEMINARIIS *Puellarum Orphanarum.* Cap. XV.

IN maximis curis, pastoralem sollicitudinem non abegimus Orphanarum Domus; sed in earum spirituali salute augenda, ac bona indolis

n id, seß 22. de refo. c. 8

lis educatione procuranda vigiles, mandamus, vt omnes dictæ Puellæ suæ Magistræ, seu Præfectæ, quæ à Nobis eligetur, obedientes omnino, & obtemperantes sint. Nulla ad colloquendum ad crates accedat, nisi de Vicariorum licentia, & seruata forma in allocutione Monialium præscripta, sub ijsdem pœnis respectiuè.

Opera elaboranda Magistra recipiat, & sua, cuique tribuat, mercedem verò ipsismet laborantibus impertiatur. Quod si pro aliquo opificio elaborando, earum aliqua instrui deberet, cum Magistra, nec alio modo ad id accedat.

Ipsa easdem erudiat, quomodo Deum timeant; instruat manuum labori incumbere, communique mensæ vt omnes conueniant, & singulas suis cubare lectis efficiat.

Quotidie in Oratorio communiter recitent tertiam Rosarij partem, & Litanias Beatæ Mariæ semper Virginis, in æde Lauretana decantari solitas, vna incipiente, cæteris verò respondentibus.

Missæ deuotè intersint. Ipse Cappellanus diebus Dominicis eas Doctrina instituat Christiana, singulis saltem mensibus confessæ, sacram recipiant Eucharistiam.

Discordes, rixosæ, vaniloquæ, & inobedien-

dientes, nisi pœnitentijs resipuerint, expellentur.

Hortamur in Domino omnes harum Domorum, aliorumque piorum locorum administratores, vt in liberis legatis maritandarum orphanarum, has Puellas benignè respiciant, eas cęteris pręferendo, vel harum nomina cum alijs in vrnam, ad sortem conijciendo.

Quoties honesta aliqua, & nobilis Matrona alicuius ex earum numero Puellarum, seruitio opus habuerit, si omnis virorum suspicio à domo sua absit, seque prius constituta dote ad locandam in matrimonio Puellam, per publicum contractum abstrinxerit, concedi poterit.

DE MONTE *Pietatis, Hospitalibus, alijsque pijs locis, deque eorum Administratoribus.*

Cap. XVI.

1 PRæter ea, quæ circa administrationem Ecclesiasticorum bonorum in superioribus dicta sunt, hæc item seruanda pręcipimus, quæ ex Tridentino Episcopis commendantur.

Piorum locorum, Hospitalium, Montium Pie-

vt supr. Pietatis, Confraternitatum, Domuum Orphanarum, vel cuiuscumque nominis appellatorum Administratores, siue Ecclesiastici sint, siue Laici, per suffragia maioris partis Confratrum, vel eorum, ad quos electio spectat, eligi debent, & antequam administrationis munus suscipiat, *cōg. Ep. 18. iul. 1594* volumus, quòd omni integritate se suas functiones ieiurando obituros affirment, quod quidem iuramentum præstabunt in manibus nostrorum Vicariorum infra mensem, aliàs eorum electio sit nulla, & ad nouam deueniatur.

2 Curent omnimodè pias Testantium voluntates ad vnguem implere, nec quoquo modo illas interpretentur, vel pecunias ad illos vsus, quam à Testatoribus relictos pro libito, aut ex quauis etiam vrgentissima causa erogare præsumant, Nobis inconsultis, etiam si maioris charitatis sit opus, quod effecerint, aliàs ab officio amoueantur, de proprio soluant, & pœnis arbitrio subiaceant nostro.

Clemēt. quia cōtingit de relig. dō. trid. sess. 25. de reform. c. 4. & 9

3 Eleemosynas veris Pauperibus, iuxta Testatorum dispositiones, & Donantium voluntates distribuant, non in suas, suorumue vtilitates, & commoda conuertant, vel inutilibus, & superuacaneis erogent sumptibus. Quòd si malè administrasse compertum fuerit, easdem supra-

Clemēt. cit. & trid. vt sup.

prædictas pœnas exigemus.

3 Et quia nonnulli auaritia ducti sub prætextu faciliorem reddendi legatorum consecutionem, Pauperes nescio, quibus certis opprimunt pactis, & circumueniunt, aliquam extorquentes partem, & fortassis maiorem dictorum legatorum; multoties etiam propinquiores remotioribus in gradu posponentes, volumus, quod qui huiuscemodi pacta inierint, aut quouis modo in exigendo, vel difficultates proponendo, legatarum pecuniarum participes ob id fuerint, duplicatas exoluant pecunias, quarum duæ portiones, grauatæ soluantur parti, tertia verò reuelanti, & factum iuridicè comprobanti, cedat.

4 Orphanarum matrimonijs solerter incumbant; probatiores verò quæ consanguinitatem probant, vel affinitatem, ex Testatorum Decretis, vlla sine fraude recipiantur in nostra spirituali Curia, assistentibus, si fieri potest; in testium receptione vno, aut altero ex Rectoribus illius pij loci, de quo Magister Notarius fidem faciat. Thesaurarius dotes penès ipsum depositatas in promptu habeat, aliàs teneatur de proprio, & contra ipsum breui manu procedatur; si vero depositatæ non fuerint, à quibus de-

bent, quamprimum debitores cogantur ad prę-sentem dotis solutionem.

In contractu matrimoniali pactum apponatur, quòd defuncta sine filijs sponsa, loco pio restituantur dotes, nisi aliter Testatores disposuerint. Electiones dotalium subsidiorum eo ipso die fiant, quo die à Testatore fuerunt designatæ; si secus factùm fuerit, electionem ad Nos attinere declaramus.

5 Singulis quibusque saltem mensibus conueniant cum omnibus Ministris in Hospitalibus, vel vbi quotidianæ fiunt pecuniarum expensiones, & cum eis agant districtè tam de introitu, & expensis, quàm de eorum seruitio, omnia diligenter examinando, vt si quæ erunt corrigenda, corrigant, & emendent.

trid. sess. de refo. c. 15.

6 Probibemus, ne quis tam in locis, quæ habitantur, quàm alijs quibusque, eleemosynas audeat pro locis pijs quæritare, reuocantes omnes, & quascumque facultates, tam scripto, quàm oretenus concessas; quòd si aliquando in nostræ locis Diœcesis quæstores aliquos permiserimus, non nisi probatæ vitæ, & integritatis eligantur, quique licentiam à nostro Generali Vicario subscriptam, & gratis concedendam obtinuerint, & quod fideliter gesturos sese [in

id. c. 20 fine. & sess. 21. c. 9. de refor.

tra-

tradendis pecunijs, frumento, alijsque rebus; ijs ad quos spectat] iuramento se obstrinxerint. Qui absque huiusmodi facultate id præsumpserint, vel minus rectè se gesserint, quàm par erat, à Vicarijs locorum carceribus addicantur, eodemque pacto contra ipsorum locorum Superiores procedatur, si contra prædictam formam quæstuarios mittere ausi fuerint, iuxta excessus qualitatem.

7 Ijdem etiam, vltra prædicta curent, vt de redditibus Ecclesiæ segregetur summa, quæ aliqua supersit pro subuentione Pauperum in festiuitate Natiuitatis Domini, & Paschæ Resurrectionis, cum alijs pecunijs, quas fortasse ad hos velint vsus erogare.

Eodem pacto infirmos Pauperes, qui humano sunt auxilio destituti, visitent qualibet saltem hebdomada per suos Visitatores, quibus eleemosynam, quam poterunt largientes, earum aduersam valetudinem, & Medico commendent, & medicinas curent diligentiùs, vt sumant, cæteraque exerceant charitatis officia, ob quæ, rem Altissimo gratissimam se facturos arbitrentur.

8 Hospitalium domorum Capellanus, seu qui Hospitalis curã gerit, & qui in Infirmorum

Clemēt. quia cō-tingit de relig. dō. trid. sess. 7. de ref. c. 15. Pius V. in bull. q. incip. Supra gregem. 11. mar. 1566

curam incumbunt, Infirmos, qui ad hospitium veniunt, nullo modo depellant, sed illos cum Medici fide à Rectoribus missos, non sine christianę beneuolentię significationibus excipiant. In quorum primo ingressu suum est curare, vt ægri (facta peccatorum omnium expiatione) Fidei rudimentis imbuantur, si imperiti sint. Lectum deinde condecentem personę assignent, & illorum curationi totis viribus inuigilent. Ingrauescente autem morbo, Sanctissimi Viatici Sacramento muniti, Vnctionis extremæ beneficio donentur; neque hos tantum charitatis fines sibi constituat Cappellanus, sed pijs alijs officijs, ac precibus morienti abhiberi solitis, luctantem Animam subleuet, moneatque, vbi certum mortis periculum imminet, vt suorum bonorum hæredem testamento instituat, vel quoquo modo de fortunis disponat. Mortuis iam, honos extremus sepulturæ gratis concedatur.

9 Hospitalis præpositus domus, non nisi omnium supellectilium (confecto prius inuentario) curam ægrotantium suscipiat, idque singulis annis coram nouis Rectoribus, & reficiat, & si quæ eius culpa fuerint deperdita, de suo soluat.

In libro autem determinato, Nomen, Cognomen, Patria, Dies, Mensis, & Annus, tam receptionis, ægrotantis, quàm eius obitus, si casus euenerit, accuratè describantur.

In lectulis ægrotantium, qui sacrum Viaticum suscepturi sunt, signum aliquod apponatur, verbi gratia, Sanctissimæ figura Eucharistiæ, eo sanè consilio, vt qui ex charitate Infirmos visitatum in Hospitale conuenerint, signo illo commoniti, Infirmum, die crastino communicaturum intelligant, adeoque documentis instruant salutaribus.

10 Pro infirmis Mulieribus sit locus disiunctus à Viris, qui claue cæteroqui obseratus, pijs tamen, & deuotis Fœminis, quæ ad ægras inuisendas accedunt, liber pateat.

Clericis verò religiosis, & honestis hominibus maximo exoptamus opere, vbi commodè fieri possit, vt alius assignetur locus, & secretus, & paratus decentius, pro gradus, & dignitatis reuerentia.

Cubilia fulcimentis omnibus necessarijs strata sint, culcitræ, puluinaria, stragula, stramenta, lintea, cæteraque omnia parata semper sint, & quò mutari possint, dupla, aut plura præparentur.

In-

11 Infantes proiecti, qui sumptibus Hospitalium enutriri consueuerunt, si sine vitæ discrimine (parentibus in notitiam iam adductis, restitui possunt) remittantur; sin periculum immineat, Nos admoneant, vt super alimentis tempore, opportunèque modum inueniamus. Qui tales proiecerit, fustigationis, & decem aureorum pœna mulctabitur.

12 Rectores tam Hospitalium, quàm supradictorum locorum, vnius dumtaxat anni finibus administrationem terminent, nisi à Nobis constitutum tempus fuerit prorogatum. Expleto anno suorum officiorum, vel munerum conueniant vna cum Thesaurarijs, Detentoribus librorum, & Exactoribus, & præsente Vicario, rationem reddant administrationis bonorum omnium nouis Officialibus, aduocatis item cæteris Confratribus. In quo genere si quid neglectum fuerit, per nostros Vicarios compellantur ad integram rerum rationem, si contumaces sunt, Nos certiores faciant Vicarij.

cōg. Ep. 18. iul. 1594

Officiales debitores Hospitalium, & locorum piorum non eligantur in Rectores, nisi prius debita persoluerint, quòd si secus actum fuerit, eorum electionem nullam, & irritam declaramus.

Tan-

Tandem prænominati omnes Officiales seruent quæ statuta sunt in tertio lib. c.20. n.3.

DE CONFRATERNITATIBVS Cap. XVII.

1 NEmini liceat, siue Clerico, siue Laico, quauis auctoritate pollenti Laicorum Confraternitates, Sodalitates, vel quęuis pia loca, absque nostra auctoritate instituere. Qui verò in his legitimè institutis numerari desiderant, huiusmodi sint, vt altiores in spirituali profectu radices emittendi, spem faciant. Criminosi quidem, ac notoriè infames omnino eradicentur, nisi per aliquod tempus bonæ consuetudinis specimen præbuerint. *Clem. 8 24. dec. 1604. in bull. inc quęcũq.*

++ 2 Vnaquęque Sodalitas, & Confraternitas suas habeat Constitutiones, à Nobis, vel à nostris Prædecessoribus approbatas. Quæ verò nullis est erecta Institutis, aliqua ex approbatis duos infra menses sibi eligat, vel de nouo conficiat; vtraque verò ad Nos approbanda transmittat, si secus fiat, Confratres, seu Sodales ab omnibus exercitijs, & functionibus, tam publicis, quàm priuatis suspendimus. *ibid.*

Quæ-

Quælibet item Confraternitas duobus vtatur libris; in quorum vno Confratrum omnium Nomina, & Cognomina describantur, annotato die, mense, & anno, quibus aliquis receptus, expulsus, priuatus ab ingressu, deletus omnino, vel mortuus fuerit; in altero verò in annos singulos Officialium electiones.

Vbi eligendi Officiales tempus aduenerit, qui très minimum esse debent, & non nisi de corpore Sodalium, & Confratrum (collectis primò omnibus in Oratorij locum) hæc seruentur.

3 Cappellanus, vel Superior, octo ante dies Confratribus, qui præsentes adsunt in Oratorio, & hi alijs constitutum diem indicet ad electionem nouorum Officialium vti omnino congregentur vniuersi. Legat exinde Librum, seu Rollum Sodalium, vel Tabbellam scribat in medio Oratorij affigendam. Ex quo [illorum nominibus rememoratis] quilibet iudicare possit, qui ex eis idoneus videtur ad officium. Deinde per secreta suffragia eligantur; votaque per Cappellanum, vel duos ex Rectoribus, aliosue ad id à Superioribus destinatos audiantur, & annotentur, & quos maior eliget pars, [expletis omnium votis] nuncient, aç propalent

cōg. Ep. 24. aug. 1584.

in

in superiores; prorsus reiecto illo, qui hactenus 24. apr.
inoleuit abusus, quo veteres tantùm Rectores 1584
nouos eligebant. Electi verò, si adsint, eodem die, administrationem suscipiant, cantato prius Te Deum. Si verò absentes sint, eis intimetur, vt proximo die Dominico, solemnis promotionis lætitiam celebrent præstito, vt moris est, iuramento in manibus Cappellani, & Rectorum præteritorum.

++ Officiales per annum persistant, & vltra 18. iul.
haud confirmentur, at si aliud necessitas exposcat, Nos certiores faciant.

4 Omnes in Oratorijs suis iuxta pias So- rōg. rit.
dalitiorum Institutiones communicent; in Pa- 18. mar
schate verò omnino in Parochiali Ecclesia. 1620.

Statutis diebus, & temporibus ex suarum 14. ian.
Constitutionum formulis pias recitent preces, 1632.
quibus nequaquam alias immisceant Litanias, sed eas tantùm, quæ ab Ecclesia sunt approbatę, canant. videlicet de Sanctis, quæ habentur post Septem Psalmos pœnitentiales, ac de Maxima Clem. 8.
Dei Parente Virgine, quibus in Lauretana Ec- in bull.
clesia, eius imploratur auxilium, ex Decreto Quoniā
fœlicis recordationis Clementis Octaui, sub pę- 6. sept.
na interdicti Ecclesiarum, & Confratrum expul- 1601.
sionis.

Vergente iam die in noctem, dum à Confratribus cantatur officium, Mulieres in Ecclesiam non admittendæ sunt, sub pœna carceris, quam Rectoribus, & Cappellanis per mensem imponimus.

✠✠ In eorum Ecclesijs, si exposita est arca pro eleemosynis, quæ à Fidelibus offeruntur, duabus sit occlusa clauibus, quarum vnam ex Rectoribus antiquior, Thesaurarius alteram habeat, singulisque quaternis mensibus his, & alijs assistentibus Rectoribus, aperiatur; receptamque summam Thesaurarius liquidò manifestet, quæ penès se conseruanda est, diem distinctè annotando.

✠✠ Cappellanum Confratres eligant, si fieri potest, ad audiendas confessiones approbatum, qui infra annum sine nostra licentia dimitti non possit.

Cætera tandem seruentur, quæ passim in tertio libro cap. 19. num. 3. notantur.

Additiones, & variationes.

ad num 2. *versiculo* Vnaquæque.

Superioribus Confraternitatum, & Sodalitatum, præcipimus obseruantiam onerum in ipsarum institutione, & erectione impositorum; si secus fecerint, sint Ecclesiæ ipsæ interdictæ.

ad

ad num. 3. versiculo Cappellanus.

Ordinatæ electioni Officialium expedit, vt Vicarius loci per se, vel per alium præsit. Idcircò hìc certior reddatur ante octo dies de futura electione. Interim Vicarius inquirat, & procedat contra illos, qui voces pro electione emendicare cognouerit, nec vllo modo confirmet electionem factam emendicatis suffragijs; statimque Nos moneat, vt opportuno remedio prouideamus.

versiculo Officiales.

Propter emergentes discordias, quæ per sępè oriuntur ex confirmatione Officialium, quoquo modo fiat confirmatio, illam irritam declaramus. Putantes verò Electores, confirmationem fore vtilem Ecclesijs, illam à Nobis postulabunt, & quodquod in Domino iudicabimus, expectent.

ad num. 4. versiculo In eorum Ecclesijs.

Fidelium oblationes magna cura sunt custodiendæ, rectæque expendendæ; vndè maximè conuenit, quòd aliqua auctoritas publica interponatur. Arcæ igitur elleemosynarum tertia addatur clauis, quam tenebit Vicarius, qui interuenire semper debeat, quoties opus fuerit, ex illa collectas pecunias extrahere.

ibidem versiculo Cappellanum Confratres.

Cappellanus electus nequit vltra annum prosequi, & tantummodo de nostra licentia confirmari potest.

DE TESTAMENTIS, & Legatis pijs. Cap. XVIII.

c. vltima volũtas. 13. q. 2. c. qui oblationes. eū sequ. 13. q. 2.

Pijs Defunctorum voluntatibus fauere cupientes, quarum à Sacro Concilio Tridentino locorum Ordinarij, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati tum in vltimis, tum inter viuos Executores constituti sunt; mandamus omnibus Notarijs, & Tabellionibus, sub excommunicationis pœna, vt infra duos menses, post Testatoris obitum, vel testamenti publicationem, seu aperitionem, omnia legata, fidei commissa, institutiones, & quæcumque, quæ pauperrimis sunt relicta personis, pia loca, vel causas, restitutionesque malè ablatorum, vnà cum nominibus tam hæredum, & executorum, quàm testatorum, bonorum qualitatibus, confinibus, vocabulis, & pertinentijs, quæ in suis actis apparuerint, denuncient, & manifestent Nobis, vel Vicario nostro generali, vel foraneis

trid. sess. 22. de ref. c. 8. & sess. 25 c. 4.

in

in Diœcesi. Hi verò Nos, & Legatarios, de legatis sibi factis, infra dies octo moneant.

✠✠ 2 Præcipimus item hæredibus, fideicommissarijs omnibus, & singulis, tam institutis, quàm instituendis, vltimarum voluntatum executoribus, vt legata Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, singulisque pauperibus Orphanarum Domibus, locis pijs, ac personis, siue pro restitutione rerum malè acquisitarum, siue pro furti, vel aliorum peccatorum remedio, siue simpliciter pro Animarum salute, infra tempus à iure, vel Testatoribus præscriptum soluenda, adimplendaque fideliter curent, neque vltra differant. Qui contrafecerint omne emolumentum ex relicto perceptum, legatarijs restituant.

3 Vt autem piorum legatorum memoria nulla delitescat obliuione, ordinamus in Curia nostra Episcopali retineri debere librum, in quo describantur huiusmodi pia legata à nostro Cancellario, qui nomen Notarij, Testatoris, Legatarios, diem, mensem, annum, & Testes singillatim recenseat. Id quod est à Notarijs Vicariorum foraneorum faciendum, sub pœna vnciarum quatuor pro qualibet vice.

ad

ad num. 2. Muneri à Sacro Concilio Tridentino Nobis impoſito, grauibuſque verbis commendato, ſatisfacere cupientes, ſancimus, quòd ad expeditam piorum legatorum executionem in qualibet Ciuitate, vel Oppido, duo, prò vt à Nobis definietur, ſint Deputati, iuxta qualitatem loci. Quos noſtra eliget ſollicitudo, proponat Vicarius loci. Deputatorum officium erit quolibet ſemeſtri vnà cum Vicario diſcutere, & examinare, an fidei commiſſarij, & vltimarum voluntatum executores adimpleuerint ſolutionem legatorum; ſingulis etiam annis prima die Septembris Nos certiores reddant, quæ legata fuerint ab illis ſoluta, quæue non adimpleta.

DE FVNERIBVS, & Exequijs.

Cap. XIX.

c. Nō ſatis de ſimonia. c. Abolēda de ſepult.

VT Fidelium defunctorum corpora, qua par eſt, pietate, & ſacro ritu, ad ſepulturam efferantur, atque humentur; præcipimus primò Parochis, & reliquis de Clero, vt ordinarijs diſtributionibus ſint contenti, & ſolitas

non

non excedant eleemosynas. Pauperum cadauera, quorum nihil, aut modica fortunarum res est, gratis sepeliantur. Iam maximopere laudamus Sodalitates, quæ pio huic muneri diligenter incumbunt. Illud tamen iniungimus, vt nullo pacto ad humanda horum corpora accedant, nisi prius admonitum velint Parochum, in cuius Parochia Pauperes hi Naturæ concessere. Ipse verò vbi horum Mortem cognouerit, actutum Superiores commoneat Sodalilatis, ad funus curandum,

c. quæstà est cū se quæstib. 13. q. 2. cōg. Ep. 5. mai. 1617.

trid. sess 25. c. 13 de reg.

2 Parochorum quoque erit, Defunctis in Carceribus, & Hospitalibus, vel mortis supplicio affectis, vel ad triremes damnatis (dum à Confratribus ad Ecclesias efferuntur) gratis sepeliendis interesse.

Cum efferri debent cadauera, Clerici primò in Ecclesiam conueniant. Crucem deinde sequantur bini superpelliceis induti, absque pallio, & galero, quæ, vel eorum alterum si deferunt, tarenos 15. exoluant, quorum tertia pars Alario capienti acquiratur. Ad hæc, longos viarum circuitus euitent, quin immo recto tramite, nullibi locorum consistendo, inceptum iter prosequantur, psalmos, & preces ex Ecclesiæ veteri more, recitantes.

Re-

Regulares, qui domo elatum funus ad Ecclesias comitantur, quem in generalibus processionibus locum habent, eumdem cum Cruce seruent.

Confratres, vel eorum Cappellani, & Superiores superpelliceis, vel saccis induti in associando cadauera, ne extremi post funera subsequantur, sed suum quisque locum obtineat, veteri ordine non immutato.

Omnes de Clero, sicuti in elatione funeris processere, ita ad proprias Ecclesias reditum ferant cum Cruce, sub pœna amittendi distributiones mortuarij illius.

Nullus ad sepulturam deferatur, nisi verissima inter mortis signa, & argumenta lethalis frigoris, duodecim saltem horarum spatium intercesserit; repentino verò accidenti correptus, non nisi post quatuor viginti supra horas.

Exteris, qui domicilio carent, si contigerit, vt moriantur, illorum funera ad Cathedralis Cappellanos in Vrbe, in Diœcesi ad Matricem, seu Regentem attinere declaramus.

Ante Solis ortum, vel post occasum, sine nostrorum Vicariorum licentia oretenus, & gratis concedenda, & nisi iusta aliqua causa intercesserit, funera non deferantur, Eodemque pa-

cto prohibemus, ne inter Missæ maioris celebrationem, aut diuinorum Officiorum recitationem ad Ecclesiam apportentur.

Lamentatrices, vulgò Reputatrices, tam in Defunctorum domibus; quàm in itinere, vel Ecclesijs, quæ fœmineo vlulatu complent omnia, omnino execramur; qui sanè huiusmodi fœminas admiserit, pœnam excommunicationis incurret; illas verò publicæ fustigationi irremissibiliter damnamus. Et hoc sæpissimè consanguineis publiceut Parochi, & iniungant, eo maximè tempore, quo Vnctio extrema adhibetur; super quibus eorum conscientiam oneramus.

Additiones, & variationes.

ad num. 1. Ad nostras peruenerunt aures iustæ quærelæ Parochorum, qui ad funera vocati, coacti sunt plures horas, etiam in triuijs expectando consumere non sine dedecore, & Ecclesiarum damno. Tanto malo prouidere æquum putantes, statuimus, tempus transferendi cadauera esse ab ortu Solis vsque ad meridiem, & à vesperis vsque ad Solis occasum; Partium cura sit à Parocho audire horam transferendi funus, & iuxta statutam horam monere Confraternitates, Societates, & reliquos omnes, præsertim il-

los, qui humeris funus portare debent, vt domum conueniant, illuc peruentis, Parochum vocent, & non ante, sub pœna vnciarum sex. Parochus caueat accedere ad funus ante determinatam horam, & certum nuncium ab ipso missum referens, quod adsint, qui portare debent cadauer; si secus fecerit, pœnam vnciarum sex incurrit.

DE SEPVLTVRIS, & Cæmeterijs.

Cap. XX.

l. 2. Reg. c. 2. Ecc. c. 7. s. Aug. l. 2. de cōsol. mortuor. CHristianæ Religionis, ac pietatis est, Fidelium corpora in sepulchris, & cœmeterijs tumulari Ecclesiarum, vt qui eis superfunt, sanctiori in loco, preces ad Deum fundant; quorum sanè conditorium sublimè nullum eleuatum, nec sepulchrorum opercula solo altiora in pauimentum constituantur, ne in his incedentes offendant. Cum verò de licentia Ordinarij humi mandantur cadauera, expensis partium pauimentum reficiatur, & æquetur solo. Ea omnia, quæ sub Altari sunt, vel ostium sub scabello Altaris habent, translatis ossibus ad Cœmeteria, vel ad aliquam aliam sepulturam, destruantur,

Cōg. Ep. & regul. 8 febr. 1594. & alia 13. sept. 1593 & alia 2. maij. 1601

quæ

quæ ſcabello viciniora, ita tamen, vt ſepulturę oſtium à gradibus Altaris cubitum ſaltem diſtet, permitti poſſunt.

Sacerdotibus à Clericis, ac Laicis ſepultura diuerſa, & propria aſſignetur, vt quos viuentes omnium dominus ſacerdotali munere decorauit, eos quoque mortuos à cæteris diſtinguamus; reliqui è Clero à Laicis ſeorſim, ſepeliantur. Eodem pacto Paruulorum baptizatorum corpuſcula, in ſegregato ab alijs loculo, infra ſex menſes conſtruendo, condiantur. rit. rom. de exeq

3 Si quæ loco depoſiti cadauera ſuper pauimentum ſepelienda ſunt, non niſi duorum menſium ſpatium concedatur; quo elapſo, ſi à coniunctis ſuper hac re adeò neglectum eſt, vt in deſtinatum locum transferri nequeant, Eccleſiarum Rectores Nos moneant, vt quid faciendum ſit deliberemus.

4 Occiſorum corpora in ſepulchris, vel cœmeterijs iam condita à Miniſtris criminalium Iudiciorum, nulla omnino de cauſa in locis ſacris inſpici permittantur, ſed alibi de noſtra licentia inſpicienda transferantur. Si quis occiſus, vel repentinò mortuus, non prius quàm certò conſtet, quòd eo anno (tempore ab Eccleſia ſtatuto) confeſſus, ſacra ſit communione

refectus, sepulturæ demandetur.

Interdicti, publicè excommunicati, & manifesti vsurarij, nisi signa pœnitentiæ dederint, atque in integrum restituerint, & satis parti fecerint, Ecclesiastica careant sepultura.

c. Sacris sepultur. c. Quam in omnibus de vsur.

5 Cœmeteria impedimentis omnibus libera esse decet; præcipimus itaque, vt ab ijs arbores, & vites, si productæ sint; quamprimùm euellantur, atque erecto signo Crucis in medio; muro sepiantur vndique, ne bestijs, aut facinorum maleficijs ingressus pateat. Nec tandem vbi defunctorum requies sita est, & locata, ludi, aut profani actus quoquo modo fiant; contrauenientes grauiter à Nobis alioqui punientur. Si quæ verò sepulturas extra septa parietum habent, præter lapidem ostijs superpositum, ferrea intus cratis, vel lignea, aut lapidea tabula claui obserata conficiatur, quam Parochus detineat, seu Cappellanus.

DE THESAVRARIIS, & Exactoribus Ecclesiarum eligendis. Cap. XXI.

QVælibet Ecclesia, Oratorium, Confraternitas, Sodalitas, & locus pius, vnum eligat Thesaurarium idoneum, pruden-

tem, rectum, ac rei domesticæ pollentem ex ipsomet Sodalium, & Confratrum numero erunt; cuius partes apud se prouentus omnes, & eleemosynas, fructus, redditus, pecunias, deposita, sortes, seu fœnorum capitalia, retinere, habere, & conseruare. Quòd si aliquando euenerit, nullum inter eos idoneum reperiri, liberum sit eis extra corpus Sodalitatis eligere. Huius verò electio fiat à maiori parte Sodalium, qui non ante se in officio ingerat, quàm iu Vrbe à nostro generali Vicario, & à foraneis in Diœcesi, fuerit approbatus.

2 Expensiones verò quæcùmque fieri debent de Rectorum, seu Administratorum mandato, & in scriptis ad eumdem ipsum Thesaurarium. Si nullus ex eis scribere sciat, per Cappellanum mandata subscribantur. Vbi verò alter ex eis se subscribit, Cappellanus alterius nescientis partes suppleat. Quòd si mandatum vnciam vnam haud excedit, in pede ipsius mandati fiat solutionis fides per eum, qui pecuniam recepit. Si mandatum transcendit vnciam, solutionis cautio per publicum Notarium in actis testificetur. Et in omnibus mandatis veræ expensionum causæ, non simulatæ, vel fictæ exprimantur, secus eos arbitrio nostro grauissi-

mè

mè puniemus.

3 Censuum quorumcumque, aliorumue bonorum genus, capitalia, & prætia; iterum in censuum, aliorumue bonorum emptionem conuertenda, penès Thesaurarium, vel loci publicum Depositarium, siue aliam personam deposita, non nisi ad effectum prædictum distrahantur. Quòd si vnciarum quinque supra viginti summam excedant, Rectores, Vicarium nostrum generalem consulant infra dies octo, à die depositæ pecuniæ, in quod nam magis vtile opus capitale illud sit applicandum? Vbi verò depositum viginti quinque sit infra vncias, eodem pacto Vicarius foraneus in rei cognitionem veniat, cuius consensu emantur, vel redditus, vel bona Ecclesiæ proficua; si secus factum fuerit, teneantur Rectores, & Thesaurarius ad omnia damna, & interesse, & vlteriùs arbitrio nostro punientur.

Thesaurarius item nullo pacto præsumat apocas, cautiones, & chirographa subscribere, vel fieri mandare, si re ipsa pecunia soluta non sit, aliàs teneatur de suo.

4 Expleto sui oneris debito, nouis Rectoribus, & Administratoribus rationes accepti, & expensi, infra mensem exhibeat. Si quid ex his

re-

reliquum fuerit, soluatur illico ijs ipsis, & nouo Thesaurario. Reuisionis verò, & liberationis faciendæ, potestatem Nobis reseruamus.

5 Pecuniarum verò Exactores, siue Procuratores non nisi ad annum ad summum constituantur, quarum exactionem ijs tantummodo concreditam velint, de quorum diligentia, & fidelitate Rectoribus satis superque constiterit; horum labori, & exigendi difficultati, stipendium respondeat ex Rectorum, & Vicarij foranei arbitrio soluendum. Hi verò pecunias à debitoribus ad Thesaurarium deportari curent; qui tamen, si fideiussionem haud negligendam præstiterint, pecunias capere poterunt. Receptas quidem vltra triduum, penès se retinere non possint, sed transmittere ad Thesaurarium debeant, secus ab officij sui muneris deijciantur, reddita prius ad quos spectat, coactionum, vel exactionum omnium ratione, quorum computus per Officiales, & Rectores Ecclesiarum examinabitur. Debitores verò, qui extra prædictam formam soluerint, soluere iterum pecunias teneantur.

Constituatur item ab vnaquaque Ecclesia Detentor librorum exitus, & introitus, cum stipendio, ex eiusdem facultate.

DE

DE REGVLARIBVS.
Cap. XXII.

QVoniam Regularis vitæ professores immediatos habent Animarum suarum Curatores, propterea non ita exacta ipsorum, sicuti cæterorum Nobis imminet cura. Admonitos tamen ipsos volumus iuxta Sanctorum Pontificum, Tridentini, & Sacrę Eminentissimorum Cardinalium Congregationis præscripta, vti nostris mandatis in aliquibus, & obtemperare, & præstò esse debeant.

trid. ses. 6. c. 3. de refo. ses. 25. de re gu. c. 14.

Præter ea, quæ in superioribus libris, & capitibus sparsim de Regularibus mandata sunt, hæc item obseruanda præcipimus.

id. c. 12. Edicta nostro nomine promulganda, quæ vel interdicta, vel censuras continent, inter Missarum solemnia, vel concionem, ex Tridentini Concilij Decreto, Populo in suis Ecclesijs conuenienti, denuncient, si hoc ab eis requiratur, diesque festos, qui in nostra Diœcesi ex nostro pręcepto seruanda voluimus, omnino seruent.

id. c. 13. Gre. 13 in bull. Ad generales processiones ordinarias, siue extraordinarias aduocati, tam in Vrbe, quàm in Diœcesi conueniant, suum occupantes consue-

tum

tum locum, ne ſcandalum ex controuerſijs de præcedentia oriatur, alioquin noſtra illi ſentient remedia. Proprias verò proceſſiones extra clauſtra ſine noſtra in ſcriptis obtenta facultate, nullo modo inſtituant. Quod ſi clauſtra non habent muros Eccleſiæ, circumire poterunt ex vna porta in aliam, vel per eamdem procedendo. Quas verò extra clauſtra de noſtra licentia habebunt, per vias ac loca, forma præſcripta decernent.

expoſcit 17.iun. 1563. Cōg. rit 29.feb. 1628.

3 Defunctorum cadauera (abſente Parocho) nullo pacto ad ſepeliendum deferant, nec aqua benedicta aſpergant, niſi in proprijs Eccleſijs, vbi talis viget conſuetudo.

18.aug. 1629. Cōg. Ep 28.oct. 1584. 31.ian. 1617.

In priuatis ædibus, ſi Oratoria à Nobis minimè probata ſunt, & recognita, miſſas celebrare non audeant.

Tri. ſeſſ 22. decr de celeb miſſar.

In Sabbatho ſancto ad hymnum Gloria in excelſis, etiam ſi Miſſam Conuentualem inchoauerint, campanas tamen non pulſent, antequam ſignum à Cathedrali in Vrbe, & à maioribus Eccleſijs in Diœceſi accipient, ſub pœna interdicti. Ad earum autem ſonitum, ob ſolemnis fœſtiuitatis lætitiam, ſuas itidem campanas, vt compulſent adhortamur. Eodemque Sabbatho Sancto Domos non adeant aqua

Cōc. lat. ſeſſ. 11.

cōg. Rit. 18.mai. 1602

benedicta lustrandas.

Vrb.8. 21. ian. 1623 Tri. sess. 25. de ref. c. 3. Gre. 13 in bul. Cũ alias 17. aug. 1622

✠ 4 Ad Monasteria Monialium nullo pacto accedant sub quouis consanguinitatis, & affinitatis prætextu, nisi seruatis Sanctissimi Domini Vrbani Octaui præscriptionibus, in Decreto ad hoc specialiter emanato, quod sub pœnis in eo, & alibi contentis, vt seruent, mandamus, Contrafacientes Vicarius possit in carcerem conijcere.

Gre. 15 1621 Vrb. 8. 1624 & 25 in const. q. incip. Roman. Põtifex

✠ 5 Noua Monasteria, vel Conuentus nullatenus construant absque nostra speciciali in scriptis data concessione, & seruatis Decretis Gregorij xv. ac Sanctissimi D. N. Vrbani viij. in Constitut. 25. (In qua virorum Monasteria non posse in aliquo Diœcesis loco recipi, neque erigi, neque institui, aut cæpta finiri, sine Ordinarij loci licentia; in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicatione ipso facto incurrenda, alijsque pœnis, mandat, ac præcipit Superioribus Religionum.) In his, si duodecim minus commorentur, nostræ totali iurisdictioni, & visitationi, se subditos esse sciant.

Tri. sess. 25. c. 4. c. Vt periculosi

Qui vagi sine Superiorum facultate in scriptis facta, à suis Monasterijs remoti, aliò vitam ducunt, sicuti sui Desertores Instituti à Nobis plectentur, & Vicarij de ijs Nos moneant; gra-

grauius verò eos mulctabimus, qui Religionis habitum exuerint.

Contra eos, qui extra Claustra deliquerint, à Nobis tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, & seruatis seruandis, iuxta delicti grauitatem, procedetur.

ne clerici, vel monach in 6. Tri. sess 25. c. 4. de reg.

Regulares omnes, Conseruatores Iudices, iuxta Gregorij XV. Constitutionem, sibi eligant, qui secundùm formam Apostolicarum Sanctionum, suum munus exerceant. Electorum verò nomina in nostra Magna Curia describantur. Si secus actum fuerit, causæ à Nobis definientur.

Gre. 15 in bull. q. incip. Sãctissimus. 20. sept. 1621.

Eucharistiæ Sacramentum pro Quadraginta horarum supplicatione, nullo pacto suis in Ecclesijs exponere audeant, vel ex publica causa, sine nostra expressa facultate, & licentia; aliàs eorum Ecclesiæ interdicto subijciantur. Si verò rei negocium vrgeat, atque ad id pietatis àmor maximè compellat, in Tabernaculi foribus, cooperta Pixide, permittimus exponi.

Cõg. Ep 21. mai 1603.

Cõg. rit. 26. feb. 1628.

Ne Regulares audeant, sub quouis deuotionis titulo, & quacumque de causa, Tertiariarum habitum Mulieribus, quæ vulgò Andarinæ nuncupantur, concedere, cuiuscumque fuerint dictæ Mulieres prærogatiuæ, nobilitatis,

& gradus, nisi seruatis ad vnguem Sacræ Congregationis Episcoporum Decretis, Statutis, & conditionibus, & nostra in scriptis obtenta facultate, post causæ cognitionem. At ne quam deinde habeat excusationem ignorantia, iuuat, hîc per extensum supradictæ Congregationis tenorem inserere. Quæ verò huiusmodi Tertiariarum habitum, absque requisitis induentur, vel indutum, non dimiserint infra mensem, post harum Constitutionum publicationem, eo ipso excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrant.

2 decēb 1616

TENOR supradicti Decreti.

TErtiarias Mulieres ad habitum Tertiæ Regulæ recipere licet Superioribus Regularibus sufficienti facultate ad id à Sede Apostolica suffultis (Capuccinis exceptis) atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinet, non autem ad habitum admittendæ, & recipiendę sunt, nisi probatæ vitæ, ac moribus bonis præditę, atque in ætate saltem quadraginta annorum constitutæ, quæ de proprio habeant, vndè sufficienter viuere possint, & non cum alijs viris, quàm

cum

cum consanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu sibi coniunctis cohabitent, & ab Ordinario loci, licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis, præuio examine diligenti, sibi constiterit. Verùm in huiusmodi habitu concedendo, & respectiuè deferendo omnino à velo supra caput, à pectorali, & à patientia abstinendum est. Quinimmò eæ, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum deferre depræhensæ fuerint, illa dimittere etiam per censuras ecclesiasticas, ab Ordinarijs locorum cõpellendæ sunt. Sac. Cógregatio Episcoporũ, & Regularium sub die 20. Decẽbris 1616.

Pro supradicta autem congrua substentatione, volumus, quòd minimum sex vnciarum, quæ ex annuo vectigali sint constitutæ, realiter possideant; de cuius veritate constet in actis nostræ Curiæ, priusquam ad licentiæ concessionem deueniatur.

Supradictum autem Decretum generalis Vicarius in Vrbe, & foranei in Diœcesi in omnibus Ecclesijs, vbi sacra concio habetur immediatè ante illam in vna ex Dominicis Quadragesimæ quotannis, vt promulgetur eliciant, sub pœna suspensionis à diuinis, ipso facto incurrenda.

Sci-

c. omnis vtriusq. sex°. de pœnit. & remiss. Sciant item Regulares Tertiarios, & Tertiarias, si semel in anno à proprio Parocho aliquo die à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicã in Albis inclusiue, Sacramẽtum Euchaństiæ in propria Parochiali Ecclesia non susceperint; Ecclesię pręceptũ minus adimpleuisse.


Tri. sess. 23. c. 15 de refor. Regulares prædicti, nisi à Nobis fuerint approbati, nullam in partem, siue Tertiarij, siue Tertiariæ illæ sint, confessiones excipere valent, neque ijs, si aduersa conflictantur valetudine, Eucharistiam, & extremam Vnctionem ministrare vnquam possunt.

sess. 22. decr. de obseru. & vitat. in celeb. missar. Omnia tandem seruent, quæ ad Ecclesiarum disciplinam, nitorem, reuerentiam, & decorem spectant; ab eis profana omnia colloquia, risus, strepitus, clamores, cantica, & organorum cantica lasciua cohibendo, cum per Tridentinum enixè caueantur.

Additiones, & variationes.

ad num. 4. *Decretũ* à Clem. ix. approbatũ f. 373 hanc Clementis prohibitionem extendimus, etiam ad collocutionem cum Abbatissa, etiam sub prætextu eleemosynam petendi.

ad num. 5. Hodie obseruanda Bulla Innocentij X. quæ incipit Instaurandæ.



LIBER QVINTVS

DE FORO Iudiciali.



NON parum refert, vt disciplina Ecclesiastica in dies proficiat, & augeatur quotidie magis; si absolutis his, quæ primas sibi partes in præcedentibus tractatibus vendicarunt in præsentia Leges quasdam, quibus nostræ Curiæ in temporalibus Ministri regi possint, proponantur. Iura enim, & Statuta in corrigendo, abusus, vel inolescentes malas consuetudines, reddunt compositum mentis habitum, & corporis; si quidem vbi eorum gubernaculum contemnitur, aliud nihil restat, nisi vt Religio naufragetur. Hæc ergo, quæ sequuntur, in nostro Iudiciali Foro obseruentur.

Clem. tit. attendentes. de statu monach.

DE VICARIO Generali.
Cap. I.

NOstri Vicarij Generalis præcipuum munus erit inuigilare, vt causæ omnes, tam ciuiles, quàm criminales; quò celeriùs fieri potest, expediantur, ne partes, & præcipuè Pauperes inutilibus litium expensis, & ac temporis diuturnitate defatigentur. Quod vti fieri possit commodiùs, semel, aut bis in hebdomada Nos moneat, iuxta causarum frequentiam, vt Congregationem Officialium, vt moris est, conuocemus. In ea Vicarius ipse supplicationes, & memorialia referat, ex quo fiat vt processus, informationes, & causæ, vbi discutientur, quid expedire in Domino iudicabimus, iuxta sacros Canones, & nostræ Curiæ peruetustas, ac laudabiles consuetudines executioni mandemus. Eius item erit, saltem quolibet mense, cum Ministris huius nostræ Curiæ, videlicet Fisci Patrono, Magistro Notario, Procuratoribus, & Sollicitatoribus Fiscalibus, & alijs ad carceres conuenire, & carceratos omnes visitare, quibus liberè permittat iura propria enunciare eos,

eorumque patronos libenter, & benignè audiendo, & de quibus Nos monere necessarium iudicauerit, certiores faciat.

Additiones, & variationes, versiculo Non parum.

Quoniam principalis cura Nobis de Pauperibus est, illos omnibus nostris Ministris enixè commendamus, vt velint eorum petitiones, & quærelas benignè excipere, & omnino gratis expedire; ne verò ipsi Pauperes à semitis Iustitiæ errent, illis constituimus iuris Patronum, seu Aduocatum, ac etiam Procuratorem, quorum munus est, non tam Pauperum, quàm Christi iura, seu partes agere, ac tueri ipsosque Aduocatum, & Procuratorem, omnes Ministri, tamquam à Deo missos recipiant, & præ cæteris locum dent in audientia.

DE ASSESSORE.

Cap. II.

ASsessoris, seu Consultoris, qui Doctor in vtroque iure esse debet, præcipuum munus est, processus omnes, tam ciuiles, quàm criminales, qui à Generali Vicario ei transmittuntur, omni diligentia recognoscere, atque in-

causis fiscalibus coram Nobis agitandis, vnà cum reliquis Curiæ Ministris, ad id deputatis, interesse, neque illud tantum, sed requisitus sententiam suam de processibus sibi concreditis, & aperire, & relationes exhibere suas oportet. Acerrimè autem in tuenda ecclesiastica libertate, & immunitate vires omnes intendant.

Carcerum visitationi cum Generali Vicario, & ipse interueniat, reique cuiuslibet summam, nimirum prosecuti informationes, & defensiones omnino calleat, vt quid sentiat, prout supra, indicare possit.

DE FISCI PATRONO.
Cap. III.

CVm informationes delicti alicuius erunt capiendæ (quæ secretò, & remotis arbitris, vt capiantur, mandamus) tam in magna, quàm in alijs omnibus nostris Curijs, vel processibus formandis, & reorum habendis subitionibus, noster Fisci Patronus interesse debebit, vt eiusdem iura tueatur, eademque seruet intaminata. Insuper volumus, vt quoties congregatio fiscalium causarum erit colligenda, ipse sit præsens, vt informationes, & processus

accuratè, & exactè prius recognitos, cum distinctione, & comprobatione testium discutiat, & aduersus testes contra Fiscum producendos interrogatoria, iuxta Curiæ stylum efformet, atque disponat.

DE MAGISTRO NOTARIO Magnæ Curiæ Episcopalis.

Cap. IV.

MAgistri Notarij in Vrbe, in primis cura erit, scripturas omnes, quæ ad nostram Curiam spiritualem attinent, ea, qua par est, diligentia asseruare, atque in loco pro Archiuio deputato, cum earum inuentario sub clauibus penès ipsum Magistrum Notarium detinendis haberi. Inuentarium verò de his, quæ in Episcopali nostra Curia, & Diœcesi, vel in visitatione, aut quauis alia ratione acta fuerint, quotannis componatur.

Scripturæ illæ, quæ ad Episcopalem mensam quouis modo spectant, distinctè, & in arca clauibus munita reponi debeant. Scripturæ criminales ab Archiuio, nec ab ipsomet Magistro Notario extrahi volumus, sed earum exempla ibidem conficiantur. Qui acta prædicta

violare, subripere, occupare, aut dilacerare præsumpserint, excommunicationis pœna innodentur, cuius edicti sententia in valuis ipsius Archiuij affigatur; quòd si lacerari contigerit, denuo renouetur. Aliud item inuentarium seorsim à supradicto custodiat, in quo referantur informationes, & scripturæ à Vicarijs foraneis, vel Delegatis transmissæ, cum die, mense, & anno cosignationis, vt de ipsarum transmissione faciliùs partes aduersæ valeant cognoscere; in fine verò prædicti inuentarij pecuniarias pœnas, quæ exiguntur ex fideiussionibus, ac iniunctionibus; & à quibus præterea debent solui, fideliter annotet, quæ omnia in repertorio peculiari sint adscripta, vt facilè inueniri possint.

Nullus Actuarius in Vrbe informationes capere præsumat, nisi Generali Vicario præsente, vel de eius mandato; & in Diœcesi Vicarijs foraneis assistentibus, vel coram Delegatis in partes transmissis. Cum verò in testium depositionibus status plerumque causæ versetur, & interdum fit, vt ex verbo controuersia oriatur, idcircò non benè tutum videtur, vt illas Actuarij alijs verbis referant, quàm quibus ipsi ijdem testes suis in depositionibus vsi fuerint. Quare

prohibemus, ne testium depositiones, relationes, & dicta, aliter describant, vel dictent, quàm ijsdem formalibus verbis, quibus ipsimet testes vtuntur. Quod si seruatum non fuerit, Magister Notarius, vel Actuarius, qui contrafecerit, graues dabit pœnas. Quæ singulis diebus conficiuntur acta omnia, & singula ab Actuarijs in regestrum referantur ordine alphabetico infra quatuor viginti supra horas, nec vltra, sub pœna arbitrio nostro infligenda, protrahantur. In fideiussionibus recipiendis caueat Magister Notarius, ne eos in fideiussores recipiat, qui nullos redditus, vel bona possident stabilia, aliàs soluat de suo.

Vt fraudes, quas emittere solent lites, maturo consilio diuellamus, præcipimus, vt ante litium contestationem in causis criminalibus actor, iuxta sacrorum Canonum dicta iuramentum à calumnijs abstinendi concipiat.

Nulla scriptura prodeat in publicum, nisi ipsiusmet Magistri Notarij manu firmata. Actuarij, vel Scribæ, qui sine dicta subscriptione eas alicui tradiderint, arbitrio nostro punientur.

Magister Notarius, Actuarij, vel Scribæ, nullo pacto copias informationum criminalium in totum, vel in partem tradere audeant, vel

eorum summam, & argumentum partibus, seu alteri cuicumque, in scriptis, vel oretenus reuelare ante extraordinarij termini assignationem, vel processus publicationem, & tunc de licentia Generalis Vicarij, sub pœna triremium, arbitrio nostro, iuxta qualitatem, & grauitatem delicti statuenda. Id quod, & sub eadem pœna seruetur à cæteris Magistris Notarijs, & Scribis nostrorum Delegatorum, & foranearum Curiarum.

Si nouus erit eligendus Magister Notarius, ille qui ab officio vtcumque dimittitur, in fine officij acta omnia, quæ vel in Archiuio seruantur, vel quæ fuere à se confecta eidem consignare teneatur.

Omnes item Magistri Notarij, tam in Vrbe, quàm in Diœcesi, librum efficiant ab alijs secretum, in quo pia omnia legata, quæ à defunctis fuerint relicta, per diem annotentur.

Reuelationum copiæ metu excommunicationis partibus non tradantur, nisi ab eis præstito iuramento, non vtendi in criminalibus ad offensam, coram Iudice sæculari.

Demum ne istæ mercedes Officialibus debitæ denegentur, ac item, ne vltra quàm par sit, exigantur, mandamus, vt secundùm nostræ

Ma-

Magnæ Curiæ pandectas; in fine Synodi huius apponendas, Ministris, pro iure laborum, impensiones exoluantur, quarum pandectarum exempla vnusquisque Notariorum apud se retineat. Qui verò, vltra prædictas pandectas, aliquid extorserint, teneantur ad pœnam quadrupli, parti læsæ applicandam, & vnciarum duarum in pios vsus erogandarum, & vlterius officijs priuentur.

Additiones, & variationes.

Persæpè ex aliquorum malitia, & incuria, aut temporum conditione, & Gubernantium variatione, scripturæ, & libri ad nostram mensam Episcopalem spectantes, deperduntur, vel distrahuntur. Quamobrem præcipimus, vt conficiatur arca duobus clauibus obseranda, quarum vna sit apud Nos, vel nostrum Vicarium generalem, alteram Magister Notarius teneat. In illa obserentur scripturæ, & libri prædicti vnà cum inuentario singulorum, ad hoc vt tempore Sedis vacantis consignentur Vicario Capitulari, qui recipere debet publico instrumento mediante ad opus consignandi futuro Episcopo.

Ad hoc vt facile sit quærentibus inuenire in Archiuio nostro scripturas, commendamus Magistro Notario de illis inuentarium confice-

re,

re iuxta annorum seriem.

Licet partium quærelæ ferè præsumuntur iniustè; tamen pro illarum maiori conuenientia, & ordine in iudicijs decernimus, quòd nullus in nostra magna Curia exerceat munus Procuratoris simul, & Actuarij, sed eligat vnum, quod maluerit. Super hoc inuigilet Magister Notarius.

Commissariorum, qui in partes mittuntur, aptitudo Nobis constare debet. Quapropter personæ mittendæ sint ex antecedenter matriculatis in nostra Magna Curia.

DE OFFICIO *Fiscalis.*
Cap. V.

Fiscalis est, crimina publica, & manifesta inquirere, & quæ probari posse, cognouerit Generali Vicario renunciare, ne delicta cum Animarum iactura, & dispendio, abeant impunita. Vbi de spreta pecuniaria pœna agetur, sequuta iam condemnatione, quarta pars pœnæ ei Fiscali detur, à quo denunciatio, & probatio facta fuerit, & hæc cum Aduocato fiscali de more compartiatur; Alarijs verò iura capturæ den-

dentur. Ad hoc Fiscalis, neminem in carcerem mittere, aut alicuius domum inquirere præsumat sine Vicariorum licentia, sub pœna priuationis officij, nisi rei in fraganti, vt aiunt, reperti fuerint, vel adire statim Vicarium non possit, in quo casu de persona illa vincta in carcere, quamprimum Vicarium erudiat.

Cum per Fiscales foraneos delicta aliqua denunciata fuerint, de quibus receptæ informationes sint, & completæ ab ijsdem; tunc emolumenta ipsimet Fiscalibus debita tribuantur. Si verò compleri, vel impinguari, vt vulgò dicitur, per Fiscales nostræ magnæ Curiæ euenerit, tunc ex dictis emolumentis pro iure laboris eorum ratio habeatur.

DE CARCERVM Custode.
Cap. VI.

CArcerarius omnem adhibeat diligentiam vt quos carceribus deuinctos, detentosque habuerit, summa vigilantia tueatur.

Nemini ex ijs permittat è carcere (vel ob ciuilem causam) die, noctuque, sub quauis fideiussione, & in fide, vt dicitur, Carcerarij ipsius

ſius, exire. Quòd ſi ij, quos pro ciuili ſollummodo debito incluſos habet, extra carcerem egredi videbuntur, per annum Cuſtodem ipſum, præter debiti ſatisfactionem, carceri deputamus. Si verò criminoſis, alijſue facinoribus affectis per Vrbem vagari, aut alio ferre pedem dederit, eumdem Carcerarium ad triremes pro tempore, arbitrio noſtro ſtatuendo, damnamus, ſecundùm delicti grauitatem, quâ rei cuſtodiebantur.

Fœminas ſeorſim à viris, proprijſque in carceribus cuſtoditas habeat, nec virum quempiam ſub quouis prætextu ad illas intromittat, niſi de licentia Vicarij in ſcriptis obtinenda. Si ſecus fecerit, per decennium ad remigandum in triremibus miſſus, pœnas dabit. Eodem pacto mulieres in virorum carcerem nullas ingredi ſinat, niſi ijs, quæ ad illas ſanguinis coniunctione pertinent ob iuſtam aliquam cauſam Generalis Vicarius, vt ſupra conceſſerit. Si noſtris ille mandatis non paruerit, ad triremes arbitrio noſtro damnabitur.

Vltra taxas ſibi debitas ab ijs, qui aſſeruantur in carcere, nihil excipiat, nec illos quomodocumque grauet, pecunias extorquendi cauſa, nec in compedes, aut arctiorem cuſtodiam immit-

mittat, illorum eleemosynas defraudando, vel denegando, quod iustè appetunt fortè, & hoc auaritia, aut pecuniarum cupiditate compulsus. Vbi in his deliquerit, officio, & munere priuatum suo dicimus, nec non pœnis alijs etiam corporalibus mulctandum dabimus.

Librum habeat, (qui vulgò circumfertur Nota delle carceri) in quo diem, horam, mensem, annum, patriam, nomen, & cognomen eorum, nec non carceris causam, de cuius ordine, & à quo tandem Ministro in carcerem fuerint coniecti fideliter recenseat. In eodemmet libro describat quoque, vt supra, notam emissionis è carcere, eiusdemque emissionis chirographa, à Vicario nostro generali subscribenda custodiat. In carcerem nullas introducat commessationes, lusorum conuenticula, quæ italico sermone, barattarię nominantur, sub pœna carceris arbitrio nostro in arctiori Damusello, vt dicitur. Cum Generalis Vicarius ad visitationem carceris accedet, Custodis munus erit omnia, quæ ad visitationem sunt necessaria præparare.

DE ALARIIS
Cap. VII.

EXecutores, & Nuncij, seu Seruientes Alarij nostrę Curię, citationes, quas faciendas cæperint, eodem die, quo à Notario, vel à parte ipsis fuerint exhibitæ efficere teneantur. Si quos verò extra Vrbem citare debent, eodem ipso die, quo cum ijs, à quibus mittuntur, sibi conuenit, sedula dexteritate citent. Quod vtrumque deinde sese perfecisse referent. Nuncijs, seu Alarijs nequaquam ab his, quos citauerint, pecunias, aut rem aliquam liceat accipere, qua soluant Creditoribus, sub pœna priuationis officij.

Vnusquisque è Curia nostra, & cum Vicario nostro Generali assistat, & assignato die, nostrum Palatium noctu, diuque custodiat; quò item omnes diebus festis conueniant, nisi quem Generalis Vicarius, ex iusto impedimento excusauerit.

In publicis processionibus omnes deseruire necesse est. Ad hæc diligenter inuestigent, num dies festi obseruentur, si quos autem non custodientes inuenerint, maturè denuncient, vt iuxta

sta-

ſtatutas pœnas puniri poſſint; in quo genere non vnus, ſed duo ſaltem Alarij interſint.

DE VICARIIS *Foraneis.*

Cap. VIII.

VIcarijs Foraneis, quos in partem ſollicitudinis noſtræ Paſtoralis vocauimus, id etiam curæ, & negocij damus, vt quæ in hac Diœceſana Synodo mandata ſunt, ea omnia, & ſingula, quæ ad Animarum ſalutem, Eccleſiarumque inſtaurationem, & cultum, Populique Chriſtiani diſciplinam conſeruandam omnino pertinent, re ipſa ſeruari curent. Ad hæc de moribus Parochorum, eorumque reſidentia, cæterorum quoque Sacerdotum, & Clericorum probitate, Nos monitos eſſe velint. In quibus, ſi quid animaduerſione dignum inuenerint, ad Nos, vel Vicarium noſtrum generalem, quamprimum referant, vt pro delicti qualitate, quà priuationis officiorum, quà pecuniarum ſolutionis, quà carceris, & corporis afflictationis pœnas luant. Volumus autem his Vicarijs, Sacerdotes omnes, & cuiuſuis Ordinis Clericos honores habere non exiguos.

Eo-

✠✠ Eorum erit specialis cura, vt semel, quolibet saltem mense Sacerdotes omnes, & præcipuè Confessarij, in maiori, siue Regenti Ecclesia conuocati, morales conscientiæ casus docentem audiant, vel inter se discutiendos proponant.

✠✠ Ecclesias frequenter visitent, Hospitalia, & pia alia loca; in his sedulò percipiant, an omnia in visitatione, & Synodo præscripta seruentur.

Pecunia Seminario assignata, quæ penès est Depositarium, ad id depositatum, vt mensibus Septembris, & Martij numeretur, ipsis Vicarijs incumbit foraneis. Summopere inuigilent, ne Testatorum voluntates defrandentur, immo verò desides, ac negligentes executores, benignè primò moneant, pręfigendo terminum pro adimpletione, deinde Nobis significent, si illas adimplere differant. Eodem pacto recognoscant, vtrum Missarum Sacrificia pro legatis relicta adimpleantur, quæ à negligentibus adimpleri curent, vel Nos moneant, vti supra. Ad quæstus eleemosynarum faciendos, ne quempiam admittant, nisi recognita nostri Vicarij generalis in scriptis licentia. Transgressores, veluti defraudatores eleemosynarum arceant, nisi

pro

prò victu tantùm quotidiano quęritent. Aduertant insuper, ne in hospitijs diuertant inhonestæ fœminæ. Qui verò cauponas, & hospitia publica detinent, nullo pacto apud se fœminas impudicitiæ nomine suspectas habeant.

Causas pecuniarias ciuiles ad summam vnciarum quatuor inclusiue tantùm determinent, & definiant. Litteras Tribunalis cuiuscumque, exceptis à nostra magna Curia Episcopali emanatis, nullo pacto executioni dabunt, Nobis inconsultis; & hoc vt sinistræ euitentur intelligentiæ, & hæsitationes, quæ ex illis oriri solent. Informationes cum sunt capiendæ, illud aduertant, vt veritas super toto facto inquiratur; de corpore delicti manifestè constet, mox alijs probationibus, & indicijs corroborent, ac muniant.

Neminem Vicarij substituant in Prouicarium, sed ad Nos scribant, nisi fortè ad octo dies summum, & de subrogato Nos statim moneant.

Criminalium causarum informationes ijdem capiant; Reos in carcere detineant inclusos, mulieres verò domi, nisi grauitas delicti aliud suadeat; contumaces, postea quàm fuerint citati, ad Nos deferant excommunicandos.

Quos

Quos verò carceri mancipatos pro delictis habent, non nisi ad Nos transmittendi causa, & de nostra licentia exoluant. Si reus custodiendus erit, Vicarium generalem consulant, captas informationes, saltem octo infra dies, cum fide Magistri Notarij, nimirum, quòd aliæ apud se nullæ sint, sub pœna priuationis officiorum, ad Nos mittere teneantur; interim statim habita delicti scientia, etiam non completis informationibus, Nos moneant. Dum Parochorum aliquis morti proximus existimabitur, curent Vicarij, in quorum locis mori contigerit, vt libros, qui ad illius officium spectant, sedulò custodiendos apud se retineant, vnà cum repertorijs Vicario Paræciæ, seu Oeconomo consignandos. Vnicuique Vicariorum mandamus, (vbi tamen commodè id fieri potest, & quatenus fuerit opus) vt Consultorem adhibeant, quem, vbi de nostro delectu recepere, nullo pacto mutare audeant. Si Clericorum delicta, maximè Sacerdotum, fuerint occulta, Nos secretò consulant, vt sine eorum famæ detrimento, ex paterna sollicitudine prouideamus, sin minus, publicas capiant informationes. Pro simplici concubinatu informationes sunt capiendę, quas Nobis illicò transmittere volumus, de qua re no-

nostrum erit deinde, seruatis seruandis, statuere, vindicari ne debeant à pœnis; an verò condemnari. Processus, & acta omnia cum ex foraneis, in nostram magnam Curiam transducere contigerit, nullo negocio parti, vel eius Procuratori, aut Aduocato deferenda consignent, sed benè sigillo munitos, alienæ tradant personæ.

Si mulieres iniungendæ sint coniugatæ, & alioqui honestatem præseferant, non fiat illis iniunctio de non conuersando, sed priuatim moneantur de pessimo vitæ genere, ii tamen (remoto scandalo) fieri id poterit; sin minùs per Archipræsbyterum, vel Curatum, peccati grauitas, & capitis periculum, cui se se obijciunt, etiam atque etiam explicetur. Quòd si maritus erit consentiens in adulterium, mulier, ab adultero separetur, & maritus in carcerem conijciatur, publica fustigatione, & pœna debita mulctandus ex nostra ordinatione. Causæ præterea omnes citissimam sortiantur expeditionem, ne rei longa prosecutione, & expensis maximis, præcipuè verò pauperes personæ, quos gratis etiam expediri volumus, ne miserandum in modum grauentur.

versiculo Eorum.

Id autem Vicarij foranei debent curare; quod exequatur iuxta pręscriptam in suis locis.

versiculo Ecclesias frequenter.

Bis in anno quidquid in hoc versiculo præcipitur, exequi tenentur Vicarij foranei; mense scilicet maio, & nouembri. Insuper Nos certiores reddant de obseruantia, aut inobseruantia prædictis temporibus.

Intra quatuor menses curent Vicarij Archiuium ordinare, & de scripturis omnibus inuentarium facere, vsque ad præsentem diem, factum ad Nos transmittant; & ita quolibet anno, mense septembri continuare debent. Curent etiam, vt antiquus Magister Notarius consignet omnes scripturas nouo Magistro Notario.

DE MAGISTRIS NOTARIIS Curiarum Foranearum.

Cap. IX.

MAndamus omnibus nostræ Diœcesis Magistris Notarijs in spiritualibus Vicariorum foraneorum Curijs, vt cautè se gerant in informationibus, & processibus forman-

dis, ne quid desit de solemnitatibus iuris, formis, & circumstantijs, iuxta Curiæ nostræ stylum. Rubricas in informationibus apponant; criminum reos, & vnumquodque delictum suo nomine appellent; informationes, & acta omnia, quæ nostram in Curiam à Nobis dijudicanda traducunt, nullo modo partibus, vel earum Procuratoribus, vel Aduocatis concredere velint, sed fideli personæ foliorum etiam numero adnotato, nec non munita sigillo consignet.

Si quando sint de pecuniæ summa, (quæ ex proprio cuique iure debetur) requisiti, taxationes non nisi è nostris pandectis faciant, & manu subscribant sua.

Processus, & quasuis originales scripturas, neque Aduocatis, neque Procuratoribus, aut alijs quibusuis personis in quouis casu commodent, sub pœna priuationis officiorum; copias verò, vbi licitum, & opus fuerit, nisi prius ipsorummet sint manu firmatæ, egredi non permittant. Cæterum, quæ ad ipsos etiam pertinent, ex dictis cap. 4. libri huius omnino adimpleantur.

DE DECIMIS, & Primitijs.

Cap. X.

NE quid vnquam è decimis, & Ecclesiarum iure detrahatur, ex quo Animæ fidelium in maximo versentur salutis discrimine, mandamus Parochis, vt Missarum inter solemnia, per nonnullos dies festos, qui solent celebrari in anno, Populum moneant, quid de solutione decimarum Sacrum Tridentinum Concilium statuerit; hortari etiam, atque etiam velint, vt decimas, quæ iure diuino sunt debitæ, integrè persoluant; ea potissimum ratione adducti, quia ex earum solutione, & fructuum vbertatem, & sanitatem corporis, atque penæ remissionem, (quæ peccatis debetur) facilius erunt consecuturi. Idem quoque Concionatores præstare, grauatè ne ferant, quod vt exequatur, Parochi suadeant.

trid. sess. 25. c. 12 de refo.
Deu. 14
Exo. 22
c. decimæ 16. q. 1.
c. desertionis vestra. de dec. in 6

Si quispiam decimas prædictas Ecclesiæ non soluerit, vel occuparit, impedierit, vel ad eas soluendas quauis ratione (etiam bonorum feudalium) renitens fuerit, iuxta Tridentini Decretum excommunicetur; absolutionis verò bene-

neficium nullo pacto impertiemus, nisi prius, & integrè soluerit, & satisfecerit, Id ipsum circa primitias, seu oblationes, quas offerre Curatis consueuere, determinamus. Quòd si Parochi Beneficiati Decretum hoc non seruarint, aut in Ecclesiæ coniurarint detrimentum ex negligentia, qua desides fortasse, vsi fuerint, luent pœnas arbitratu nostro.

trid. sess 25. c. 12 de ref. c decimę. 16. q. 1. c. peruenit. & c adhęc de dec. Clē dispēdio sā de iud

DE VSVRIS

Cap. XI.

VSura, quæ veluti veneni tabida vis in pauperum bona, & quod omnium execrabilius est, in vsurariorum Animas serpit; vires omnes adhibendas putamus, vt è Christiano Populo tantum malum medullitùs eradicetur. Caueant ergo omnes, sub pœna scutorum centum, præter alias à Sacris Canonibus impositas, ne vllum vsuræ genus committant, neue alios quoscumque, siue apertè iniquos, siue, vt aiunt, palliatos inire audeant contractus, qui tam ex mutuo, quàm ex deposito, vel ex alio

infātes. 3. q. 7. c quia in oībus de vsur. c. quāq. de vsur. i 6

contrahendi modo emanare videantur. Quare hos omnes, vt qui vsuram sapiant, improbamus, & improbatos à iure, sicut iniustos, improbandos decernimus. Notarios verò, qui instrumenta confecerint, conciliatores, proxenetas, mediatores, & cooperatores omnes, eisdem pœnis implicatos volumus.

Additiones, & variationes.

Versipellis vsura est, & cum sit summa iniuria ipsius Iustitiæ pallio, nempè publico contractu vestita incedit. Ideo inuigilent Vicarij super ipsos contractus, de quibus habetur alicuius vsuræ suspicio, & Nos statim consulent, transmittendo contractum ipsum.

DE CONCVBINARIIS, & Lenonibus.

Cap. XII.

MAlum est equidem, solutos Concubinas alere; peius autem coniugatos inhonestos ijs sceleribus maritale fœdus temerare;

ie; pessimum verò Concubinas, siue in propria, siue in aliena domo, cum tanta Dei Creatoris iniuria, ex proxima scilicet criminis exequendi occasione, & alere, & habere. Quo circa præsenti Decreto ex nunc pro tunc quindecim dies istis hominibus assignamus, quos volumus trinam, & canonicam supplere protinus monitionem; horum quinque pro primo, quinque alios pro secundo, extremos pro tertio, & peremptorio termino ad eas omnino dimittendas, & abijciendas constituimus, qui ita moniti à Concubinarum consuetudine minus abhorruerit; si fuerint Nobiles, vncias quadraginta, si verò Ignobiles, vncias viginti persoluant. Plebs infima si prædictam pœnam ad soluendum sit impotens, in exilium extra totam Diœcesim abigatur.

trid.sess. 24.c.8. de ref.

Clerici quidem concubinarij easdem pœnas contra Laicos impositas respectiuè soluant, & vlterius Carceri arbitrio nostro deputentur.

id.sess. 25.c.14 c.clerici de coabitatione cleric. & mul.

Lenones, & lenæ Dœmonis nefanda proles, qui in Animarum exitium suas intendunt artes, & curas, si ab eis subductæ Animæ, ex matrimonij fidelitate abijcerint, vncias decem

cem exoluant; & publicæ fustigationis infamiam incurrant; si verò solutæ fuerint, à Ciuitate, & Oppidis, in quibus degunt, per annum exulent. Si Maritus Vxoris, vel Filiæ Pater pudicitiam prostituant, ad triremes per triennium damnentur. Si verò Filiam venalem Mater habeat, ex ea fustigationis pœnam, & exilij à tota Diœcesi per idem triennium accipiemus.

DE POENIS.

Cap. XIII.

IN præcedentibus libris leges modò vetantes, permitentes modò disposuimus, & in ijs de quamplurimis delictis, (in quorum supplicium statutæ sunt pœnæ,] tractauimus. Verùm quia delicta omnia, quorum notitia, vt cumque ad nostram

ſtram Curiam ſpectat, compræhenſa non ſunt, declaramus in præſentia, quòd pro criminibus omnibus, tam hìc recenſitis, quàm non, ſi pœnæ ſpecialiter non meminimus, ea, primo ex Canonum, & Sacri Concilij Tridentini diſpoſitione exigatur, ſin minùs, noſtro deinde ſeruata intelligantur arbitrio, quo delicta ſecundùm menſuram propoſitionis, loci, temporis, perſonæ, & qualitatis punientur, iuxta facultatem à ſacris Canonibus tributam, & à Tridentino aſſerente temerarios, & violatores Verbi Dei, iuris, & arbitrij pœnis per Epiſcopos eſſe coercendos, ſuum tamen vniuerſi inducant animum, paternæ miſericordiæ in eum, qui reſipuerit, nunquam fore vt obliuiſcamur.

Gloſ. c. 2. de pœnit. c. irrefragabilis §. cæterũ. de off. or. trid. ſeſſ 4. de edit. & vſu ſac lib.

DE VISITATIONE.
Cap. XIV.

VIſitationis Scopus cum ſit, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus, atque admonitionibus ad religionem, pacem, & vitæ integritatem accendere, cæteraque omnia, prout locus, tempus, & occaſio feret, ex Viſitatorum prouidentia ad fidelium fructum conſtituere, ex Tridentino Epi-

trid. ſeſſ 24. c. 3. & ſeſſ. 25. c. 11 de ref.

ſcopis omnibus, quotannis ad perluſtrandas ſuas Diœceſes, hoc onus incumbit.

Cum igitur Nos perſonaliter viſitationis Prouinciam aggrediemur, hæc erunt ſeruanda. Primò viſitationis noſtræ aduentus per litteras denuncietur Vicarijs, & Parochis locorum. Populum hi ſedulò adhortentur, vt peccata confeſſi, ſacram Euchariſtiam ſuſcipiant, precibus enixè diuini Paſtoris æternum Numen exorantes, vt viſitationis labor in ſui gloriam cedat, ac populi fructum; qui ſanè de Sacramento Confirmationis ſuſcipiendo, (ad cuius adminiſtrationem locus in Eccleſia ornatus præparetur,) plures ante dies erudiri debet.

Pro viſitatione exornetur Sacriſtia, in qua ſacra ſint expoſita indumenta, pallia, vaſa, & Eccleſiaſticæ omnia ſupellectilis ornamenta, quæ pro colorum ratione diſtinctius ordinentur, vt vnico intuitu cuncta inſpici poſſint. Neque proinde, vt factum hucuſque eſt, pro decorandis, ſternendiſque Sacriſtijs, Altaribus, & Eccleſijs, commodata adhibeant ornamenta, calices, ſacra vaſa, veſtes, pallia, tobaleas, cruces, candelabra, & ſimilia; neuè Cappellæ, & Altaria de iurepatronatus, ſi proprijs ſint minus adaucta indumentis, aliunde, aut ab ipſamet Eccle-

ea

ſia ea ſibi vtenda commodent. Nam ſi id fieri liceret, nequaquam Eccleſiarum, Cappellarum, Oratoriorum, & Altarium defectibus occurrere poſſemus; idcirco propria ſolummodo vtantur ſupellectile, cuius ſi copia nulla eſt, vel lacer ſit omnis indutus; non aliter, ac eſt, explicetur. Qui ſecus fecerit, excommunicationis ſententiam incurrat.

In promptu ſint etiam omnium inuentaria Reliquiarum, quæ in ea conſeruantur Eccleſia, nec non libri, & codices eccleſiaſtici, inſtrumenta, ſcripta, legata, redditus, & cui nam Altari ſint annexa beneficia.

Libros Parochi oſtendant, qui tum baptizatos, tum confirmatos, & eos, qui matrimonium contraxere, atque etiam Animarum, ac defunctorum numerum complectantur. *rit. rom. in fin. trid. ſeſſ 24. c. 1. de refor & c. 2.*

Ad hæc ſuam quiſque notam Vicarius ſcilicet, & Parochus ſecretò dabunt, & ſigillo munitam, vt ſi quid in Ciuitatis, vel Oppidi cuiuſuis, Parochijs irrepſerit vitiorum, ſalubri, opportunaque medicina occurramus obuiam. Aliam item deferet vterque ſchedulam, in qua nomina ſint recenſa pauperum, viduarum, pupillorum, & aliorum verè miſerabilium, & mendicare erubeſcentium, nimirum, vt eorum

pauperiem, & subleuemus, & opem feramus in Domino. Sacerdotes præterea an statutis diebus, & horis ad sacræ Scripturæ, & casuum conscientiæ explicationem conueniant, an Clerici designatis Ecclesijs diuinorum tempore officiorum intersint, & deferant, & annotent.

Quòd si verò Nobis legitimo distractis impedimento aliquo. Diœcesim percurrere non licebit, per Visitatorem auctoritate non minus, quàm virtute conspicuum, id præstare curabimus, qui vltra prædictorum obseruantiam, respectiuè etiam infrascripta exequetur.

Laicorum hospitia, eorumque conuiuia à se, suisque totis viribus arceat.

Primum omnium in ipso Ecclesiæ ingressu Defunctorum absolutionem faciat, deinde Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum visitet, sacra Olea perlustret, videatque, ac munditia, & custodia, qua decet, conseruentur. Si Fons baptismalis solido lapide consurgit, an cautè, & nitidè tueatur, & aqua statutis temporibus renouetur, priore in Sacrarium proiecta. Reuiset Altaria, mappas, consecratas aras, aliaque paramenta; Sanctorum Reliquias animaduertat tutò, ne & ornatè, ac decenter conditè habeantur, an adsint vestes, libri, calices, pate-

næ,

næ, corporalia, purificatoria, & huiusmodi generis, vel instrumenta, vel ornamenta, quæ ad Altaris ministerium, diuinaque officia sunt, necessaria, & hæc munda ne, & purgata seruentur. An missæ, diuinaque officia, qua oportet pietate, & deuotione celebrentur. An Ecclesiæ libri, vetusta scripta, instrumenta, & priuilegia custodiantur integra. Ecclesia insuper Dei an sit benè tecta, murisque comprahensa; an verò in aliqua sui parte ruinam patiatur, imbresque pluuios excipiat.

Ecclesiæ, & earum partes omnes religione, & nitore, qui domum supræmi Numinis decet, diligentissimè inspectet, an colluceant; quidue restituendum, reparandumque sit, ab his, ad quos attinet restaurari, celeriùs iniungat. Sedesque in Confessionalibus ex forma præscripta an sint, aliquando efformatæ dispiciat.

A viris vitæ probitate conspicuis inquirat diligenter; diuinus ne cultus in Ecclesijs ritè exhibeatur, eosdemque consulat de maleficis, vsurarijs, blasphemis, concubinarijs, publicis criminosis, simoniacis, irregularibus, & excommunicatis, si qui sunt, vt scelerum aliquandò conscientia compulsi, reuocentur in mentem;

Sin-

Singulos ex Clero secretò examinet, num eorum aliquem, vel hominum sęcularium, (quem patefacere non recusent) correctione indigentem nouerint; recipiet rationem, & computos reddituum Ecclesiarum omnium, & piorum locorum. Beneficia, quæ sunt, vel non curata, eorumque obligationes minutim discernat; legata item ad pias causas, quæ, si in aliquo, vel minimo adimpleta non fuerint, adimpleri faciat. Sacerdotes omnes examinet de cæremonijs, & rubricis; an cautè ambulent Ludimagistri, & vita, moribus, ac doctrina probentur, quibusue instituant libris pueritiam. Num Parochi ea præstent, quæ suorum officiorum, ac munerum cura expostulat; præcipuè verò an
ibid. c. 4 christianæ Doctrinæ elementa dominicis diebus, imperitæ Populi multitudini, explicent, enucleantque.

In Sanctimonialium visitatione adhibitis secum paucis, ijsque è Senioribus ecclesiasticis, ac pijs personis, monasteria, claustra, dormitoria, officina, & cubicula attentissimè perlustret; postridie verò in Ecclesia ad crates auricularem vnus ipse visitationem aggrediatur, inquirendo solerter, an constitutiones, quæ vel ex instituto, vel à Nobis sunt editæ, viua asseruatione

vi-

vigescant. Si quæ autem secretò corrigenda, vel emendanda, publicè cognouerit, animi prudentia in consilium adhibita corrigat, & emendet.

Demùm ad manus habeat nostras hasce Constitutiones Synodales, quarum omnium executionem, etiam Monialium ordinationum exactissimam procuret.

Vt autem visitationis munus in Dei honorem, & Animarum salutem institutum, finem suum consequatur, mandamus, vt quæ fuerint in visitatione sancita, visitationis Secretarius singulis diebus in libro, specialiter ad id præparato, exactè annotet, singulaque exempla singulis Ecclesijs, ac locis visitatis respectiuè consignet, vt vnusquisque norit, & exequi studeat quid ex visitatione, & quomodo ad sese pertineat.

Magister Notarius, Commissarij, alijque Officiales, & ab his, qui visitantur, & pro Decretorum, & Ordinationum, quæ facta sint, actione, capere prorsus nihil audeant.

Procurationes verò, tam Nobis, quàm nostris Visitatoribus, ex forma Sacri Concilij Tridentini solui debeant. *ibid.c.3*

Additiones, & variationes.

Licet, fuerit Prædecessorum consuetudo singulo quoque triennio, totam Diœcesim visitare; Nos, Deo dante, Tridentino Concilio conformare nitemur. Attamen, ne visitandis graues, & onerosi simus, procurationem solitam, vt infra, distribuere decreuimus. Si fiet singulis annis visitatio, tertia pars procurationis soluatur; si singulo biennio, duæ partes ex dicta procuratione; si demùm triennio, integram soluere tenebuntur.

DE SYNODO *Diœcesana.* *Cap. XV.*

AD Synodum Diœcesanam, vbi primùm conuocata fuerit, accedat quisque, vt ex iure, aut consuetudine tenetur. Quòd si quis legitimè impeditus interuenire haud possit, Procuratorem constituat, qui suæ causam absentiæ proponat, vt à Nobis examinata probetur, & eius nomine recipere debet quæcumque statuta in Synodo, ac determinata erunt.
ibid. c. 2

DE

DE EXAMINATORIBVS Synodalibus. Cap. XVI.

SAcro Tridentino Concilio decretum, & constitutum est, in Dioecesana Synodo viros aliquos idoneos exoptari debere; illos examinandi gratia, qui Parochialibus Ecclesijs, & curae sunt Animarum praeficiendi. Volumus igitur, vt Examinatores, ad hoc munus electi, in aequissimam Dei Iustitiam deponant oculos, & iure iurando ad Sacra Dei Euangelia obstringant sese, nimirum se omni postposita humana affectione, atque animi cupiditate, nunquam prorsus indignum, digno praepostituros. Si quid muneris (hoc absit) examinis ratione acceperint, praeter quam quod diuinam incurrent indignationem ex patrato crimine, nostri deinde arbitrij poenas nullas effugient. Decretum ergo Sacri Concilij exequi cupientes nominauimus, & eligimus infrascriptos, qui sunt. *ib.c.18.*

Nicolaus Antonius Milo V.I D. Cantor Canonicus, & Vicarius Gener.

Ascentius Graffeo V.I.D. Archidiac. & Canon.

Ioannes Antonius Mirabella V.I.D. Decanus, & Canonicus.

Ioſeph Franciſcus Bianco V.I.D. Canonicus.

Carolus Scannariato V.I.D. Canonicus.

Antoninus Noto V.I.D. Canonicus.

Nicolaus Maluizio V.I.D. Canonicus.

Cæſar Cardinale S.T.D. Archipręsb. Marſal.

Vitus Caruini S.T.D. Montis S.Iuliani Archipræsbyter.

Laurentius Maurici S.T.D. Ciuitat.Salem Archipræsbyter.

Cæſar Lolli S.T. & V.I.D. Careni Archipręsb.

Ignatius Caſtro S.T.D. S.Nicolai Drepani Parochus, & Vicarius Foraneus.

Ioſeph Tobia à Drepano V.I.D. Prothonotarius Apoſtolicus.

P.D.Ioſeph Caſtelli ex Cleric.Regularib.

P.Mag. Aloyſius Graſſeo Ordin. Minor. Conuentual. S.Franciſci.

P.Mag, Alexander Maria Greco Ord.Prædic.

P.Mag. Benedictus Trombetta Ord.Carmelit.

P. Franciſcus Maria à S. Mamiliano Ord. Carmelitar. Diſcalceatorum.

P. Matthæus Chiacalone Rector Collegij Soc. Ieſu huius Vrbis.

P. Iacobus Napoli Soc. Ieſu.

DE

DE IVDICIBVS *Synodalibus.* Cap. XVII.

IVdices item Tridentina Synodus creari præcipit insignes, & probatos viros, atque in dignitate Ecclesiastica constitutos, ex quibus Regulares suos eligant Conseruatores. Hos autem Iudices in terminandis causis ita breues, & expeditos esse volumus, vt Litigantium calumnijs siue in litis contestatione, siue in aliqua dilatandi iudicij parte, peruigili animo occurrant; vt ius reddatur cuique suum. Quod si ex eorum aliquem mori contigerit, cum Capituli consultatione alium in eius locum sufficiemus vsque ad futuram Synodum Regulares iuxta Constitutionem Gregorij XV. fæl. recordat. Conseruatores sibi eligant. Quos verò nominamus, sunt. *id.sess. 25.c.10*

Nicolaus Antonius Milo V.I.D. Cantor, Canonicus, & Vicar. Gen.
Ascensius Grasseo V.I.D. Archidiac. & Canon.
Ioannes Antonius Mirabella V.I.D. Decanus, & Canonicus.

Paulus Zichichi V.I.D. Canonic. Pœnitentiar.
Ioseph Franciscus Bianco V.I.D. Canonicus.
Carolus Scannariato V.I.D. Canonicus.
Antoninus Noto V.I.D. Canonicus.
Nicolaus Maluizio V.I.D. Canonicus.
Franciscus Marlarolo V.I.D. Decanus Insignis Collegiatæ Castriueterani.
Petrus Guida V.I.D. Castriueterani Archipr.
Stephanus Fraccia S.T.D. Alcami Archipręsb.
Ioseph Tobia Drepani V.I.D. Prothonotarius Apostolicus.
Vincentius Modica Castriueterani V.I.D. Vicarius Foraneus.
Franciscus Giglio Castriueterani S.T.D.

DE TESTIBVS Synodalibus.
Cap. XVIII.

VEtus illud, ac probatissimum Institutum à Sacris Canonibus introductum, maximè laudamus nimirum, vt in Diœcesana Synodo viri aliqui vita, & moribus graues, atque Ecclesiasticæ studiosi disciplinæ, optentur ex omnibus (qui testes appellantur Synodales) quorum intereſt diligenter perscrutari, & animaduertere, an hæ nostræ Constitutiones Synodales

les executioni demandentur, & debita obseruatione, siue à Laicis, siue à Clericis custodiantur, Si quid denuò in Ciuitate, & Diœcesi sit, quod corrigi, emendari, aut reformari debeat: num Ecclesiasticæ Personæ religiosè viuant: aut qui residere tenentur, resideant; num Curati suarum Ouium saluti inuigilent; Pueros Doctrinam Christianam doceant: Sacramentorum ministeria, præcipuè personis infirmis diligenter exhibeantur. Sacerdotes onera Missarum adimpleant, cæteri Clerici sua obeant munia, dierumque festorum cultus, vt decet, vigeat apud omnes, & quæ de ipsorum obseruantia decreuimus, custodiantur exactè: in Ecclesijs, qua conuenit pietate, perindè, ac sancitum est, omnes versentur: ieiunia custodiantur: num quisquiam iura, census, Ecclesiarumue bona occupare præsumat, vel decimas soluere recuset: pia legata, hæredes, vel fideicommissarij adimpleant, atque à debitoribus solutio fiat; an Regulares alicuius publici scandali causam præbeant: Populus aliquibus superstitionibus vacet: publici peccatores inueniantur, maximè verò excommunicati, concubinarij, blasphemi, vsurarij arioli, ac præcipuè de hæretica prauitate suspecti: num tandem aliquid contra bonos

mo-

mores inueniatur. Hæc omnia, cæteraque huius generis Nobis, vel Vicario nostro Generali indicare maturè velint. Qui autem huic muneri incumbent, sunt.

Pro hac Vrbe Mazzariæ

Andreas Laborusso.
Petrus Romano.
Vincentius Dia.
Vitus de Vita.
Lucianus Ingargiola.
Iacobus Marino.

Pro Marsalia.

Marianus Spanò.
Franciscus Gianno.
Vincentius Vingi.

Pro Drepano.

Antoninus Scarcella V.I.D. Prothonot. Apost.
Didacus Martines V.I.D.
Pancratius Rizzo.

Pro Monte S.Iuliani.

Ioseph Leone.
Vitus Curatulo.
Cosma Luppino.

Pro Alcamo.

Leonardus Gratiano.

Pe-

Petrus Palumbo.
Vincentius Gerardo.

Pro Calatafimi, & Vita.

Antonius Chiappone.
Ioseph de Ioanne.
Ioseph Catalano.

Pro Salem

Nicolaus Catalanotto.
Albertus Cossentino.
Bartholomæus Fauata.

Pro Castrouecterano

Matthæus Russo.
Lucianus Mattanà.
Franciscus Grasso.

Pro Partanna, & Santa Nympha

Vitus Calandra V.I.D.
Philippus Corso.
Vitus de Maggio.

Pro Gibellina, Sala Parutarum, & Podeo Regali

Didacus Rizzo.
Caetanus Sarro.
Franciscus Rizzo.

Pro Careno, Capacio, Turretta, & Cinisi.

Iulius de Leonardo,
Matthæus Imperiali.
Antonius Ferrara.

Pro Castro ad mare de Gulpho

Vincentius Rubino.
Hierardus Blundo.
Leonardus Borruso.

Pro Partinico, & Valle Guarneriæ

Nicolaus Xanna.
Philippus Drago.
Vincentius Furia.

Pro Pantellaria

Antoninus Bonafide.
Stephanus Grassia.
Paulus Aietta.

Pro Paceco, & Xitta

Franciscus Bussa Cappellanus.
Ioseph Lipari Cappellanus.

Pro Campobello

Antoninus Ferro.
Michael Rosa.

DE CONSTITVTIONIBVS *Synodalibus.*
Cap. XIX.

QVæ in hoc Constitutionum volumine continentur, noscant omnes Sanctæ huius Mazzariensis Ecclesiæ iurisdictioni subiecti, ad vnguem obseruari mandatum esse, pro suo cuique gradu, munere, & obligatione. Iubemus proindè omnibus Archipræsbyteris, Parochis, Cappellanis, Curatis, etiam amouibilibus, alijsque Ecclesiarum Rectoribus, Vicarijs Foraneis, & Magistris Notarijs, vt hunc Constitutionum Codicem apud se habeant, huic studeant, hunc diligenter obseruent; nec non, & reliquos omnes ex Clero hortamur, vt librum hunc, quem Domi habere debent, sæpiùs volutent, ac perlegant. Quas quidem Constitutiones, pro vt iacent, & ad literam intelligi volumus: seclusa omni interpretatione extensiua, vel intensiua, quam verba non designent, aut clarè significent. Et cum plures sciamus esse casus, qui huiusmodi Constitutionibus non compræhenduntur, nullaque iuris sanctio, adeò clara esse possit, vt per sępè pręter intentionem di-

ſponentis detorqueatur; ideò ſi quid obortum fuerit difficultatis, aut ambiguitatis in his interpretandis, earumdem interpretationes, & declarationes Nobis reſeruamus.

Volumus autem, & declaramus has Conſtitutiones Synodales, quas vobis in plena Synodo lectas, & promulgatas iam ſufficientiſſimè propoſuimus, poſt tres ſtatim menſes ab hodierna die, quæ eſt decima ſexta Menſis Ianuarij, numerandos, vim Legis ita habere, & obtinere, vt eæ quoſcumque ligare, & obligare incipiant, vt qui contra illas deliquerint, pœnis eiſdem Conſtitutionibus ſancitis, ſtatim teneantur.

Verùm hæc omnia, & ſingula, quæ hoc in volumine continentur, emendanda, & corrigenda, qua decet, reuerentiæ ſignificatione, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſupræmæ auctoritati ſubijcimus, & ſupponimus.

Declaramus inſuper, & mandamus, tam in proceſſione, quàm in inſedendò, & votandò, nullum inferri præiudicium iuribus partium, ſi quoquo modo ordo ſeruatus non fuerit, ſed omnia in eo ſtatu remanere, in quo ante hanc Diœceſanam Synodum reperiebantur.

Additiones, & variationes.

Synodalium Constitutionum cognitio, & scientia, si ad omnes spectat, maximè ad illos Ecclesiasticos, qui ad Ordines sacros ascendere desiderant. Propterea mandamus omnibus prædictis, vt teneant apud se nostram Synodum, seriò illi studeant, ne in examine minùs habentes in hac scientia inuenti, tanquam inepti, ab Ordinibus sacris arceantur.

Omnes has nostras Additiones, & Variationes ad vnguem obseruari pręcipimus, pro vt iacent, seclusa interpretatione quacumque, quam Nobis omnimodè reseruamus. Volumus etiam, & declaramus has Synodales Additiones, & Variationes, quas vobis sufficientissimè proposuimus, vim legis habere, & obligare post menses quatuor, numerandos ab hodierna die, quæ est decima sexta Iunij.

Placet ergo vobis Fratres, & Filij dilectissimi, vt quæ in his Synodalibus Sessionibus confirmauimus, statuimus, & ordinauimus, nunc tandem ad laudem Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad incrementum deuotionis nostræ Fidei, Spei, & Charitatis, ad reformationem nostri huius Cleri, totiusque Diœcesis, iuxta Decreta Sanctæ

ctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non Sacri œcumenici Tridentini Concilij, vestro omnium consensu confirmemus, approbemus, & executioni mandemus; illasque vosmet obseruare promittitis.

Responderunt omnes

Placet, placet, & seruare promittimus.

BARTHOLOMAEVS CASTELLI EPISCOPVS MAZARIENSIS

Nicolaus Antonius Milo V. I. D. Canonicus, Cantor, & Vicarius Gener.

Ascensius Graffeo, V. I. D. Canonicus, & Archidiaconus.

Ioan. Antonius Mirabella V. I. D. Canonicus, & Decanus.

Iacobus Fileccia, V. I. D. Canonicus, Thesaurarius.

Gabriel Mazzarino Canonicus.

Paulus Zichichi V. I. D. Canonicus, Pœnitentiarius.

Hieronymus Gerbino Canonicus.

Carolus Scannariato, V. I. D. Canonicus.

Ioseph Ferro Canonicus.

Ioseph Ingargiola Canonicus.

Cos-

Cosma Leone Canonicus.
Didacus Mangogna Canonicus.
Antoninus Noto, V.I.D. Canonicus.
Nicolaus Maluizio, V.I.D. Canonicus, Sanctiss. Inquisitionis Ordinarius Commissar.
Nicolaus Palisi, Canonicus.
Vincentius Montalbano, Canonicus, Terminator.
Hieronymus Mollica, Canonicus, Curatus.
Dominicus Leo, Canonicus, Curatus.
Dominicus Milo, Canonicus,
Saluator Maccagnone, Canonicus,
Abbas S. Mariæ la Giummara.
Ioseph Tobia, V.I.D. Prothonotarius Apostol. Proc. Mariani Morso, Prioris Abitæ.
Prior Deliæ.
Ego Lucas de Onofrio, S.T. & V.I.D. tam vti Canonic. Thesaurar. insignis Colleg. Ciuit. Castriueterani, quàm vti Procurator V.I.D. Francisci Marsaroli, Decani, & aliorũ Canonicorum absentium, pro vt in procuratione.
Fœlix Alberti, V.I.D. Canonicus.
Bernardus Grasseo, Canonicus.
Ioan. Baptista Notus, V.I.D. Canonicus prædictæ Insignis Collegiatæ.
Ioseph Foggia, Canonicus.

Pe-

Petrus Fimia Canonicus prædictæ Insign. Collegiatæ.
Cæsar Cardinale, V.I.D. Archipræsbyt. & prima Dignitas Collegiatæ Vrbis Marsaliæ, tam nomine proprio, quàm vti Procurator aliorum Canonicorum absentium, pro vt in procuratione.
Albertus Parrinello, Artis, & Medic. Doctor, Canonicus.
Michael de Angelo, Canonicus eiusdem Collegiatæ.
Franciscus Xauerius Capitelli, V.I.D. Canonicus eiusdem Collegiatæ.
Antonius Mindietta, V.I.D. Abbas S. Angeli, & Archipræsbyt. Vrbis Drepani.
Vitus Caruini, S.T.D. Prothonotar. Apostolic. Sanctiss. Inquisition. Commissarius Ordin. ac Archipræsb. Montis S. Iuliani.
Stephanus Fraccia, V.I. & S.T.D. Prothonotarius Apostolic. Archipræsbyter Ciuitatis Alcami, & Monasterior. Visitator.
Stephanus Triolo, S. T. D. Abbas, Prothonotarius Apostol. & Archipræsbyter Ciuitat. Alcami.
Laurentius Maurici, S. T. D. Archipr. Ciuit. Salem, & pro eo Vincentius Rao Procur.

Pe-

Petrus Guido, V.I.D. Archipræsbyter Ciuitat. Castriueterani, Prothonotarius Apostol.

Fabritius Graffeo, S.T. & V.I.D. Prior, & Prothonotarius Apostol. Archipræsbyter Ciuitatis Partannæ.

Franciscus Brunetti, S.T.D. Archipresb. Gibellinæ, & pro eo Antoninus Scarcella V.I.D. Prothonotarius Apostolic. Procur.

Corradus Greco, Doct. Archipræsbyter Salæ Parutarum.

Cæsar Lolli, V.I. & S.T.D. Archipræsb. Iecarensis.

Ioseph Sorrisi, Archipræsbyt. Castri ad mare de Gulpho.

Vincentius Agliata, & la Farina, Doct. Archipræsb. Partinici, & pro eo ego S.T.D. Franciscus Ferrara eiusdem Matricis Eccles. Econymus.

Ioannes Baptista Gerardi, Archipræsb. Pantellariæ, & pro eo Ioseph Ingargiola, Canonic.

Nicolaus Maluizio, Archipræsbyt. Tunesi, & Gulettæ.

Paulus Orlando, Archipræsbyter Valguarneræ Campifloridi.

Angelus Dicta, Archipræsbyter Sanctæ Nimphæ.

Pater D. Honoratus à Panormo, Ordin. S. Benedicti Cassinensis, Archipræsbyter Terræ Cinisi, & pro eo Sacerdos Antoninus Diluuio.
Leonardus Prinziualli, Archipræsbyter Campibelli.
Stephanus Martino, Doct. Archipræsbyt. Terræ Capacis, & pro eo Sacerdos Honuphrius Balsamo Procurator.
Marianus Robino, Parochus S. Nicolai huius Vrbis.
Antoninus Fileccia, V.I.D. Paroch. Parochial. Ecclesiæ S. Matthæi Ciuit. Marsaliæ.
Vitus Daidone, Doct. Parochus, ac Rector Ecclesiæ S. Petri Vrb. Drepani.
Bernardus Rizzone, S.T.D. Parochus S. Nicolai Vrb. Drepani.
Ignatius Castro, S.T. & V.I.D. Abbas, & Parochus Ecclesiæ S. Nicolai Vrb. Drepani, in ead. Vrb. Vicarius, & Visitator Monaster.
Gaspar Ventò, S.T.D. Parochus Eccles. S. Laurentij Vrb. Drepani, & pro eo Sacerd. Nicolaus Sanclemente Procurat.
Ioannes Messina, S.T.D. Parochus S. Laurentij Vrb. Drepani.
Vincentius Scuderi, Doct. Beneficialis, perpetuus

suus Curatus Reg. Matricis Ecclesiæ Ciuit. Montis S. Iuliani, & pro eo Ioseph Fiderici V.I.D. Procurator.

Ioseph Fiderici, V.I.D. Beneficial. Curat. Reg. Matricis Eccles. Ciuit. Montis S. Iuliani.

Nicolaus Giuffiè, Doct. Abbas, Prothonotar. Apostolic. Vicarius Foran. Visitator Monasteriorum, & Parochus Ecclesiæ S. Cataldi Ciuit. Montis S. Iuliani.

Marcus Bonanno, Parochus S.Iuliani, Ciuitat. Montis eiusd. S. Iuliani, & pro eo Sacerdos Matthæus Fallucca Procurat.

Matthæus Fallucca, Parochus Parochial. Ecclesiæ S. Antonij Ciuit. Montis S.Iuliani.

Franciscus Gramazza, S.T.D. Paroch. Apostolor. Pauli, & Bartholomæi Ciuit. Alcami.

Ioseph lo Vairo, Parochus S.Iuliani Terræ Calatafimi, & pro eo Sacerd. Antoninus Dilluuio Procurator.

Vincentius Rao, Cappellanus Curat. Matricis Ecclesiæ Ciuit. Salem.

Ioseph Milazzo Cappellanus Curatus Matricis Eccles. Ciu. Salem, & pro eo Petrus de Cino.

Albertus Oliueri, Parochus Eccles. S.Mariæ de Catena Ciuit. Salem, & pro eo Sacerd. Franciscus Leone Procurator.

Eustachius de Maria, V. I. D. Prothonot. Apostolicus, Parochus, & Beneficialis Ecclesiæ S. Ioan. Baptistæ Castriueterani.
Vincentius Lombardo, V. I. D. Prothonotar. Apostolic. Cappellanus Curatus perpetuus Matricis Ecclesiæ Castriueterani.
Ioannes Boue, Cappellanus Curatus perpetuus eiusdem Matricis Ecclesię, & pro eo Sacerd. Vincentius Lombardo.
Vincentius Donato, Cappellanus Curatus perpetuus Matric. Ecclesiæ Castriueterani.
Io. Baptista Notus Cappellan. Curat. perpetuus prędictę Eccles. Matric. Castriueter.
Petrus Amatus, Cappellanus Curat. perpetuus Ecclesiæ S. Ioan. Baptistæ Castriueterani.
Antoninus de Maria, Cappellanus Curat. perpetuus Ecclesiæ S. Ioan. Baptistæ Castriueterani, & pro eo Petrus Amatus Procurat.
Sacerd. Ioseph Lipari, Cappellanus Terrę Xittę S. Laurentij.
Cappellanus Turrettæ.
Cappellanus S. Iacobi Fauonianę.
Cappellanus S. Catarinę Fauonianę.
Cappellanus Maretimi.
Sacerd. Franciscus Buffa, Cappellanus Paceci.
Ioseph Castronouo S.T.D. Cappell. Terrę Vitę.

Su-

Supradicta omnia, & singula Decreta, & Constitutiones Synodales in duabus Sessionibus lectæ, & publicatæ fuerunt è sugestu de verbo ad verbum, alta, & intelligibili voce in plena Synodo Mazzariensi, in legitimo, ac sufficientissimo numero congregato, cum Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Don Bartholomæo Castelli, Episcopo Mazzariensi, Regioque Consiliario, in Ecclesia Cathedrali, atque ab vniuerso Clero vnanimiter, spontè, liberè, ac nemine prorsus discrepante, per illa verba, *Placet, & illas seruare promittimus*, pluries prolatum, laudatę, acceptatę, & subscriptę pro vt supra. In quorum fidem. &c. Datum Mazzariæ. Die 16. Iunij. 1698.

Antonius Nolfo S.T.D. Vrb. Drepani
Synodi Secretarius.

Et quia ego Antoninus Sorrentino M.C. Episcop. Cancellarius, & præsentis Synodi Notarius, supradictis omnibus, & singulis, sicut supra gestis præsens fui; ideò in fidem me subscripsi, rogatus, & requisitus.

Antoninus Sorrentino

Acta Mazarię in Eccles. Cathed. Die 15. & 16. Iunij. 1698.

OF-

OFFICIALES SYNODI

Promotor

Dominicus Leo, Canonicus Curatus huius Cathedralis.

Iudices querelarum, siue excusationum

Ioan. Antonius Mirabella, V.I.D. Canonicus, & Decanus.

Nicolaus Maluizio, V.I.D. Canonicus, & Sanctiss. Inquisitionis Commissarius.

Secretarius

Antonius Nolfo, S. T. D. Vrb. Drepani.

Coadiutores in lectione Decretorum

Sacer. Balthassar Polito, & Ioseph Bernardone.

Notarius

Antoninus Sorrentino, Cur. Episc. Cancellar.

Magistri Caremoniarum

Sacerd. Michael de Agate.

Sacerd. Augustinus Saguasta.

Præfectus Hospitiorum

Sacerd. Antoninus Grillo.

Ostiarij

Sacer. Antoninus Dilluuio, & Ioannes Siracusa.

STATVS S. ECCLESIAE CATHEDRALIS MAZARIENSIS

Dignitates quatuor

Cantor.
Archidiaconus.
Decanus.
Thesaurarius.

Canonici viginti vnus

Sexdecim ordinarij, in quibus duo includuntur Curati.

Quinque supranumerarij, electi pro fœlici Aduentu Illustrissimorum Episcoporum.

Duo Collegiatæ, vna Matricis Ecclesiæ Marsaliæ cum duodecim Canonicis, & prima dignitas, Archipræsbyter.

Altera S. Petri Castriueterani, cum alijs duodecim Canonicis, in quibus duæ includuntur Dignitates, nempè Decanus, prima Dignitas, & Thesaurarius.

Abbatia vnica.

Prioratus sæcularis vnicus.

Commendæ militares duo.

Ecclesiæ curatæ quadraginta.

Rectores Curati quinquaginta tres nempè.

Ar-

Archipræsbyteri viginti.
Rectores perpetui viginti quatuor.
Amouibiles nouem.
Domus Præsbyterorum Sæcularium sub Instituto S. Philippi Neri, quatuor.
Seminarium Clericorum in Vrbe, in quo viuunt Alumni, decem & octo.
Clerus Sęcularis in Vrbe, & Diœcesi mille nouem centi sexaginta septem.
Monasteria Regularium, centũ & vnum. scilic. Virorũ, octuaginta duo, in quibus viuunt mille centum septuaginta quinque.
Monialium viginti, in quibus degunt sex centi octuaginta sex.
Domus Puellarũ duodecim, in quibus viuunt tres centi decem nouem.
Hospitalia quindecim.
Montes Pietatis nouem.
Confraternitates Laicorum, saccis induentium centum triginta sex.
Animæ, quę sacram communionem recipiunt, septuaginta millia quingenti triginta.
Animæ, quæ non recipiunt, quadraginta duo millia septemcenti nonaginta octo.
In totum centum tresdecim millia tres centi viginti octo.

NOI

NOI
D. BARTOLOMEO CASTELLI

Per la Dio Gratia, e della S. Sede Apostolica Vescouo di Mazara, e del Conseglio di Sua Maestà

ESsendo arriuati alla residenza del nostro Vescouado, e desiderãdo secondo l'obligo nostro d'incontrar à tutta diligẽza il magior seruitio di Dio, per cui sola Benignità occupiamo la carica di questa Santa Chiesa Mazarese, habbiamo subito dato l'occhio di conformarci coll' osseruanza de' sacri Canoni, e specialmente con quei, che appartengono alle spese nelle speditioni delle lettere di giustitia da questa nostra Gran Corte Vescouale spettante à materie spirituali. Pertanto habiamo giudicato col presente Editto publicare, & incarire l'essecutione indispensabile della Tassa stabilata, & ordinata sopra ciò dalla Santità d'Innocentio XI. di fel. mem. come siegue: Ordinando anche Noi, e comandando al nostro Vicario generale, Visitator generale de' Monasteri, e Mastro Notaro, ò

Cācelliero, che inuiolabilmēte osseruino, e facino puntualmēte osseruare quāto in essa si prescriue. Il simile ordiniamo, e comādiamo à tutti i nostri Vicarij, Visitat. de' Monaster. e M. Not. Foran. Parochi, Arcipr. Ecconomi, e Cappellani Curati, che nō trasgrediscano punto, e in minima parte cotali Ordinationi Apostol. e nostre, sotto pena di priuatione d' officio, e altre pene ad arbitrio nostro respectiuè.

TASSA

Delle spese in questa G. Corte Vescou. di Mazara, e in tutte le nostre Corti foran. per le speditioni, & esecutioni delle lettere di Giustit. secōdo la stabilita da Innoc. xj. à 8. Ottob. 1678. esecutà in Regno à 22. Aprile 1679.

Ordini

Per la presētata delle fedi à qualūq. Ord.	*gratis*	
Per le patēti degl'Ordini, le quali non si multiplicano quādo si riceuono in vna sola Ordinatione. ___ tt.	1.	5
Per le dimiss. d'ordinarsi in altr. Dioc. tt.	1.	5
Per le dimiss. ad cōmorād. extr. Diœc. tt.	1.	5
Per la facoltà solita cōcedersi a' Sacerdoti nouel. da celebrar la pri. volta.	*gratis*	
Per la reuisione, approuatione, carta, e ogni cosa, cioè testimonij, e altre		

scrit-

scritture cõcernẽti al patrimon. _ tt. 18. 15
Cõ auertẽza di douersi cõpensare ne' sud. tt. 18.15. quãto si sarà pagato nelle Cor. for. per la recett. de' testim. o altro, purche nõ ecceda la sõm. di tt. 4.
Per la reuisione, e approuat. de' benefi-cij à cui titolo s'ordinã qualũq. _ tt. 12. 10
Per la presẽtata, giorn. e rẽgi. lr. de' breui venuti da Rom. per ordinarsi in trib. dieb. festiu. delle dispẽze ante etatẽ, delle irregolarità, e altri simili, se si lasciano nell'archiuio della Corte. _ *gratis*
Se però la parte li vorrà restituiti, per registrarli . _ tt. 1. 10
S'auerte che per la tõsura nõ si deuono portar ne sorbice, ne pettine, ne touaglia, ma solamẽte il cereo dell'oblatione, come in tutti gl'altr'Ord.

Beneficij

Per la speditione delle bolle de' beneficij de mensa Episcopali semplici, e canonicali . _ tt. 12. 10
Per l'approuatione dell'idoneità a' sud. beneficij da impetrarsi nelle vacãze pertinẽti alla S. Sede Apostol. _ *gratis*
Per dar la possessione de' sud. beneficij

ogni volta, che vi sarà bisogno di assistere ad essa il Cancelliero. — tt. 3. 15

Per la speditione della patẽte all'Economo de' beneficij curati vacãti. — tt. 3.

Per speditione delle bolle de' beneficij curati, che si conferiscono dall'Ordinario con concorso. — — tt. 12. 10

Per tutto l'attitato del detto concorso, ò quãdo deue cõferirsi il beneficio dall'Ordinar. ò per spedire l'approuatione del magis idon. per cõferirsi il det. benefic. dalla S. Sed. Ap. tt. 12. 10

Per l'approuat. e preeletione del magis idon. nel concorso de' beneficij curati da prouederſi dalla S. Sed. Apo. — *gratis*

Per l'essecutoria delle bolle Apost. per proue de narratis, registro, lettere di possessione, & ogn' altro, non essendoui contraditione. — tt. 18. 15

Essendoui però cõtraditione, per tutto l'attitato, oltre la sentenza, che deue darsi *gratis*, altri — — tt. 18. 15

Per speditione de' beneficij de iure patronatus, editti, lettere, visione di scritture, & altro. — — 1. 7. 10

Per speditione di bolle nell'erettione di nuo-

nuoui beneficij. ———————— tt. 18. 15

Nel caso, che tutte le soprad. bolle si debbano presẽtare, & eseguire nelle Corti foran. al solo Ma. Not. si debban pagare per giornata, e registro tt. 2. per ogn' vna di esse. tt. 2.

Confraternità, Chiese, e Feste.

Per speditione di lett. nella nuoua cretione di Cõfrater. Chiese, & Orat. tt. 10.

Nel caso si douesser esequire e registrare nelle Corti for. al M. Notaro. tt. 1.

Per le licenze da benedir le Chiese, e celebrare in esse. ——————— gratis

Per visite di Chiese al solito secõdo la tassa osseruata sin'ora, pur che non ecceda la somma di ——— tt. 12.

Per l'esecutione delle lettere Apost. sopra l'alienatione di beni Eccles. e di celebrare in Oratorij priuati, per tutto l'attitato. ——————— tt. 12. 10

Per lett. di licẽza di far le processioni. tt. 1. 5

E se si debbono registrare, & eseguire nelle Corti foran. al M. Not. — tt. 1.

Per le licẽze di trasporto de' cadaueri. gratis

Per lettere d'esporre il SS. Sacram. gratis

Per ricognitione di Reliquie. — gratis

Per

Per publicatione d'indulgenze . . . gratis
Per difesa d'Immunità . . . gratis
Per confirma di Capitoli di Chiese . . gratis
Per licéz. di faticar le feste à chi le necessita. gratis

Matrimonij.

Per speditioni di matrim. cō le dispēze
Apost. per le lettere necessarie, & altro attitato facēdosi in questa G.C. Vescou. altrimēte si deue defalcare la recettione de' testimonij, che si prenderanno nelle Corti foran. tt. 12. 10
Per la recetione d'ogni testim. dello stato libero così in questa G.C. Vescou. come nelle Corti foran. tt. 1. 5
Per sped. di matrim. degl'esteri, in tut. tt. 1. 5
Per dispenze di tempi prohibiti . tt. 1. 5
Per dispenze delle denunciationi. tt. 1. 5
Per licéza d'assistere al matrimonio altro Saecrd. che il Paroco . . gratis
Per dispēz. d'anellarsi fuor di Chiesa. tt. 1. 5
Per l'esecutione delle soprad. licenze nelle Corti foran. solamēte al Ma. Nos. gr. 15. per ogn' vna di esse . tt. 15

Amministratione de' Sacram. e Prediche

Per lett. di licéza d'āministrar Sacram. gratis
Per patēti di cōfess. e con le coadiutorie. gratis

Per

Per licéza di predicare in qualsiu. tépo. _ *gratis*
Si proibisce à tutt'i Parochi, e Cappellani Curati di non poter predere ne fazzoletti, ne touaglie, ne altre cose nell'amministrat. dell'Oglio santo, Cresima, e Battesimo.

Monasterij

Per lettere cõcernẽti ad entrar, & vscir dal Mõnast. seruẽti, educãde, e nouit. tt. 1. 5
Per proroga delle Nouitie. ____ tt. 1. 5
Per lettere della profess. delle medes. tt. 1. 5
Per lettere da far le renunzie. ___ tt. 1. 5
Per esecut. di d. lettere nelle Corti for. *gratis*
Per la reuisione, e approuat. delle scritture della dote delle monacãde, quã do si assegna in rẽdite, ò beni stab. tt. 18. 15
Cõ auertẽza, che se la dote è di contãti. *gratis*
Per le licenze d'entrar Medici, Barbieri, e altre persone necessarie. ___ *gratis*
Si proibisce a'Visitat. de'Monast. nella creatione dell'Abadesse, nella ricetione delle Nouitie, e profess. delle medes. che nõ possan accettar regalo, ò donatiuo alcuno, se non di qualche comestibile proportionato all'vso, e cõsumo proprio di 3. giorni.

Scom-

Scommuniche, & Assolutioni

Per lettere monitoriali di scõmunica. tt. 1. 15
Per scommuniche pontificie. ___ tt. 1. 5
Per l'esecut. di lettere della penitẽtiaria. *gratis*
Per dichiarat. della scõmun. e sua assol. tt. 2. 10

Per licenze diuerse

Per licenze di publicarsi le bolle della Cruciatà, e Monserrato. ____ tt. 1. 5
Per licenza di questuare alle Chiese. tt. 1. 5
Per l'attestatione di pouertà. ___ tt. 1. 5
Per l'esecut. delle soprad. lettere nelle Corti foran. nõ douẽdosi registrare, ma restare originalmẽte nell'Archiuio. *gratis.* nel caso le volessero registrare, al solo M. Notaro. __ tt. - 15

S'auerte a' Vicarij foran. Má. Not. e ogn' altro Ministro, che quelle lettere, che si spediscono *gratis* da questa G.C. Vescou. tutte si deuon eseguire *gratis*, sẽza esigere niẽte per ragione di presẽtata, registro, ò altro.

B. Vescouo di Mazara

Antonino Sorrẽtino Cãcell.

LAVS DEO

DECRETVM

DIE 11. Maij 1669. Sacra Congregatio Eminētiſſimorū S.R.E. Cardinalium Concilij Tridētini Interpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares abſque licentia, crates Monaſteriorū Monialium adire, & frequentare non dubitent; prætendentes, nō eſſe interdictum per breue tempus, etiam vſque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur Moniales, aliaſque perſonas intra clauſuram exiſtentes, alloqui: & hanc opinionem tamquam tutam affirment, diſſeminent, & forſan etiam ſcriptis euulgent, proprias grauiter illaqueantes conſcientias, & ſcādala confouentes; ad huiuſmodi pernicioſos errores eliminandos, opinionē prędictā improbās, reijciens, ac dānans, declarauit, Regulares cuiuſcūq. Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Inſti-

tu-

tuti, etiã de quibus ſpecialis mẽtio foret habẽda qui ad Monaſteria Monialium, quãuis ab Ordinatij iuriſdictione quomodolibet exẽpta,& etiã ipſis Regularibus ſubiecta, vel alias ſpeciali mentione digna, abſq. legitima facultate, accedãt colloqendo, etiã per quodcũq. modicũ tẽporis ſpatium, cũ Monialibus, aut alijs intra clauſurã degentibus, peccare mortaliter, eoſq. ſub excõmunicationis, priuationis vocis actiuę, & paſſiuę, alijſque contra Regulares accedẽtes ſine licẽtia ad Monaſteria Monialium ſtatutis pęnis poſſe ab Ordinario, tãquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, coerceri.

Et die 7 Iunij eiuſdem anni, facta relatione Sanctiſſimo Domino noſtro, Sanctitas ſua præſentem declarationem approbauit, ac typis dari, ſeruarique iuſſit.

INDEX TITVLORVM

Qui in hac Synodo continentur.

IN PRIMO LIBRO

IN SECVNDO LIBRO

IN TERTIO LIBRO

De

IN QVARTO LIBRO

IN QVINTO LIBRO

IN

INDEX
RERVM NOTABILIVM

A

Ab-

Bap-

Can-

Tu-

 posi-

Con-

Cap-

De-

D

DEcimas soluere tenentur Fideles. l.5. c.10. n.1.
Non soluentes, occupantes, impedientes decimas, excommunicationis pœnam incurrunt; à qua absolui nequeunt, nisi integrè persoluantur decimæ. ib. n. 2.
Denunciationes debent esse tres in tribus diebus fæstiuis interpolatis, & inter missarũ solẽnia. l.2. c.10. n.4.
De licentia Episcopi ex iusta causa intermitti possunt, ita vt celebrato matrimonio, omnino fiant ibidem, intermittente mortis periculo, si per tempus non licebit certiorem facere Episcopum; possunt emitti; sed priusquam celebretur matrimonium, Vicarius loci certioretur. ib. n.4.
Si contrahẽtes sint diuersæ Parochiæ, in vtraque fieri debent denunciationes. ib. n.5.
Anteqũ fiant, Parochus interroget separatim spõsam de volũtate, accipiatq. sincerũ assensum. ib. in add. n.2
Detentor librorum ab vnaquaque Ecclesia eligendus. l.1. c.21. n.5.
Dies fæsti ex præcepto, mobiles ex Synodali Constitutione qui sint. l.1. c.15. in fine.
Diebus fæstis vendi, aut emi comestibilia, & alia ad victum necessaria, quibus horis possunt. ib. n.4.
A signo verò tertiæ vsque ad finem missæ maioris inclusiue, ab omni venditione cessabitur; quæ pœna sit Decreta non obseruantibus. ib. n.5.

Al-

Spon-

Fu-

Si

ſem-

rem

bo-

Pan-

die 26. Septemb. 1664.

Laicus se non ingerat in directione, & designatione viarum, nec impediat, aliàs excommunicatus ipso facto enunciatur. ib. in addit. ad n. 1.

Laicalis Magistratus, aut Officialis actus submissiuos, quos conuenientiales vocat, etiam vrbanitatis titulo, à Vicario non petat, sub eadem pœna, nec Vicarius præstet, sub dicta pœna. ib. in addit. ad n. 1.

Pone: Accessit postea in confirmationem altera decisio Trib. Reg. Monar. Panor. die 22. Mart. 1698. præs. & registr. tam in M.C.Epis. sub die 4. April. quàm in Cur. For. Vrb. Drepani die 5 eiusd. mens. ac in Offic. Delegati Trib. Reg. Monarch. in ead. Vrbe dicto die 5. & Litteræ obseruatoriales dicti Tribun. Reg. Monarc. dat. Panormi die 26. mensis April. 1698. præsent. & execut. in M. C. Ep. die 20. Iunij, & in Cur. For. dict. Vrbis Drepani die 27. Iunij. & in Officio dicti Delegati die dicti mensis Iunij.

Processionis horam determinare, & intimare Magistratibus ad Vicarium spectat. ib. in addit. ad n. 5.

Elapsa hora decreta, & intimata statim exeat processio: si secus Vicarius pœnam vnciar. 20. soluet. ibid. in addit. ad n. 5.

Processionis tempus. ibid.

Procuratio, vide Visitatio.

Pro-

Qua-

Sa-

LAVS DEO

Nostro Omnipotenti omnium Seruatori, eiusq. semper Virgini Parenti sine labe Conceptæ, nec non Diuo Vito Conciui, & Patrono Mazariensi, & Sanctis omnibus huius Diœcesis Tutelaribus, & Patronis.

Imprim. Castro pro Illustris. & Reuer. Episc. Mazar.

Imprim. Scafili pro Ill. Præside M. R. C.

MDCIC.

Errata in Addit. & Variat. corrige.

fol. 14. lin. 12.	illos	illas
fol. 34. lin. 14.	æditis	editis
fol. 48. lin. 9.	noſtræ	noſtra
fol. 58. lin. 19.	Innocentiana	Innocentianam
fol. 67. lin. 25.	excępit	excipit
fol. 68. lin. 13.	ſubſtinendi	ſubſtituendi
fol. 77. lin. 27.	lino	lineo
fol. 97. lin. 25.	duabus	duobus
fol. 108. lin. 14.	ferenda	ferendam
fol. 108. lin. 17.	combinata	comminata
fol. 109. lin. 19.	celebrent	celebrant
fol. 119. lin. 2.	combinata	comminata
fol. 121. lin. 17.	cauſam	cauſa
fol. 121. lin. 18.	diſtincta	diſtinctæ
fol. 135. lin. 17.	præſcripta	præſcriptæ
fol. 136. lin. 14.	officit	efficit
fol. 137. lin. 1.	ineptitudo	ineptitudo
fol. 137. lib. 2.	valeant	valeat
fol. 160. lin. 15.	penderit	pendent
fol. 162. lin. 14.	propterea	propterquem
fol. 163. lin. 8.	accenſuri	aſcenſuri
fol. 170. lin. 25.	quam	quarum
fol. 171. lin. 1.	canonicatus	canonicatu
fol. 198. lin. 19.	quem	quam
fol. 203. lin. 10.	Prædeceſſoris	Prædeceſſores
fol. 204. lin. 13.	conuenientia	conuenientiam
fol. 210. lin. 18.	oretinus	oretenus
fol. 227. lin. 16.	pactoris	factoris
fol. 227. lin. 21.	Clericus	Clericis
fol. 229. lin 12.	Pontificialibus	Pontificalibus
fol. 229. lin. 21.	à Vicarijs	die à Vicarijs
fol. 247. lin. 14.	Viſitatori	Viſitatore
fol. 252. lin. 2.	locorum	locum
fol. 252. lin. 12.	demittetur	dimittetur
fol. 252. lin. 24.	præcipue	præcipua
fol. 259. lin. 11.	Epyceiam	Epykiam